[S]umma Sacramentorum Ecclesiæ, ex doctrina Fratris Francisci à Victoria, ordinis Prædicatorum apud Salmanticam olim Primarij Cathredatici, Per Reuerendum, patrem Præsentatum Fratrem Thomam à Chaues illius discipulum.

Ad Illustrißimum ac Reuerendißimum Dn̄m D. Gasparem à Stuñiga & Auellaneda Archiep̄m Cōpostellanum.

Huic ex tertia Authoris recognitione, nunc denuò multò plures quàm antea quæstiones accesserunt: necnon & sanctorum Conciliorum, præsertim Tridentini, & aliorū decretis aucta, locupletata, atq; illustrata est.



SALMANTICÆ.

In ædibus Dominici à Portonarijs, Catholicæ Maiestatis Typògraphi. 1571.

CVM PRIVILEGIO.

Esta tassado à tres marauedis el pliego

EL REY.

POr quanto por parte de vos Andrea de Portonarijs nr̃o impressor de libros vezino de la ciudad de Salamanca, nos fue hecha relació, diziendo que con licencia y priuilegio auiades impresso vn libro intitulado Sũma de Sacramentis ecclesiæ, y despues de impresso le auiades traydo ante los del nuestro consejo, pa q̃ le tassassen, y se auia tassado a tres marauedis el pliego y corregido con el original, y hecho en el la diligencia q̃ esta mandada hazer por la p̃matica por nos sobre ello hecha. Y porque agora teniades necessidad de le tornar a imprimir, sin añadir ni quitar en el cosa alguna, nos supplicastes vos diessemos licencia y facultad para lo poder hazer, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro cõsejo y el dicho libro, fue acordado q̃ deuiamos mandar dar esta nr̃a cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual vos damos licencia y facultad, para que vos, o la persona q̃ vuestro poder para ello vuiere por el tiempo cõtenido en el priuilegio q̃ para imprimir el dicho libro intitulado Summa de Sacramentis vos esta dado, le podays imprimir y vender en estos nr̃os reynos đla corona de Castilla a tres

mara-

marauedis el pliego. Y mãdamos que por el dicho tiẽpo ninguna otra perſona lo pueda imprimir ni vender, ſo pena q̃ la tal perſona o perſonas que lo imprimieren, o vendieren, ayan perdido y pierdã los volumines y moldes y aparejos con que lo hizieren, y mas cincuenta mil marauedis, la mitad para vos el dicho Andrea de Portonarijs, y para vueſtros herederos, y la quarta parte para nr̃a camara, y la otra quarta parte para el juez q̃ lo ſentenciare, con tãto que deſpues de impreſſo el dicho libro, no lo podays vender ni vẽdays, ſin q̃ primero ſe trayga ante los del nueſtro conſejo, para que ſe corrija cõ el original. Y mandamos a las nueſtras juſticias, y a cada vna dellas en ſu juriſdicion, que eſta nueſtra cedula y lo en ella cõtenido, vos guarden y cũplan, y hagan guardar y cumplir, y los vnos ni los otros no fagades ni fagã ende al, ſo pena dela nueſtra merced, y de diez mil marauedis para nueſtra camara. Dada enel Eſcurial a diez dias del mes de Março, año de mil y quinientos y ſeſenta y ſeys años.

YO EL REY.

Por mandado de ſu Mageſtad.

Pedro de Hoyo.

POr mandado de los Señores del consejo vi este libro, intitulado Summa de los Sacramentos de la iglesia, copilado delos escriptos y doctrina del doctissimo maestro y padre digno de memoria. F. Francisco de Victoria, de la orden delos Predicadores, por el padre presentado F. Thomas de Chaues de la misma orden, y leydo con attencion, y assi mismo las addicioues que el dicho padre F. Thomas agora le añade, hallo en el resoluciones muy doctas breues y claras de materias muy graues, las quales con las addiciones que agora se añaden se conforman con determinaciones del Concilio de Trento, y de otros concilios, y siendo como lo es la doctrina deste libro conforme a lo q̃ nuestra madre la yglesia catholica Romana nos enseña, me paresce se deue imprimir, para que todos gozen de tan buena doctrina. Fecha en sant Francisco de Madrid, a tres de Hebrero de mil y quinientos y sesenta y cinco años.

Fray Francisco
Pacheco.

COrregido este libro cõ el original por do se manda imprimir, esta bien y fielmente te impresso, y el molde muy correcto, tiene al principio vna Epistola del Autor Añadida de nueuo, que no estaua en el original, y es familiar para el Arçobispo de Sanctiago, y por ella se vee que es comendaticia de la obra. Fecha es esta fe en Madrid, a diez y ocho de Enero, đ mil y quiniẽtos y sesenta y siete años.

El Licenciado
Luys Hurtado.

Frater Thomas Chaues, in ſacra Theologia preſentatus, familiæ prædicatoriæ minimus Candido lectori ſalutem.

SVperioribus annis, exciderat nobis Candide Lector, potius quàm æditus fuerat, Commentatoriolus quo in compendium redactæ erāt obſeruatiōes inclyti præceptoris mei Fratris Franciſci Victoriæ, ere, & fama ſuper æthera noti in Quartum librum Sententiarum, quē ego attenta cura & magna auiditate ex ore dicentis & prælegentis exceperam, mihi ipſi, vt theſaurum eximium ſeruaturus. Quem tamen poſtea paſſus ſum communicari Reipublicæ, id quod factum fuit alienis manibus potiùs quam noſtris. Nunc autem veluti repoſitam ad tempus tabulam reuiſens, & videns aliqua etiam quæ ſecundum eamque propriam limam deſiderent, libenti animo hoc quicquid eſt laboris aſſumpſi, vt opuſculum ipſum in lucem ipſe publicam emitterem, caſtigatum, terſum, ſplendidūq;

partibus.Reciſa itaq; ſunt â nobis nõnulla ſuperflua,additæ ſunt plures quæſtiões digniſſimæ, quæ prætermiſſæ fuerant.Cuncta etiã ad amuſim Concilij Tridentini ſunt exacta, adhibitis in proprijs locis decretis ipſius atq; diffinitiõibus,quibus & doctrina ipſa ſit anguſtior,& legentis animus optatam trãquilitatẽ inuenit anxietate & nutatione ſit prorſus exempta.Boni cõſule, quod maiore ſumpta luce ab eccleſia, noſtris eam lucubratiõibus deeſſe non tulimus. Ea ipſis addita, adiũctaq; noua diligentia factum ſit,vt libellus ille prior,iã meritò ſordere tibi debeat,hic autem quem in præſentia damus, omnino ſit amplenctendus, vt pote qui tot rationibus illi antecedat, tot commoditatibus eum exuperet, vt iã præ iſto,ille nullus cẽſeri queat

Vale.

NOs Fray Chriſtoual de Cordoua, Maeſtro en ſancta Theologia, Vicario general de la Prouincia de Eſpaña de la orden de los Predicadores. Y el Maeſtro fray Iuan de Ludeña, Prior de ſant Pablo de Valladolid, Fray Domingo Caluete Prior de Palencia, Fray Chriſtoual de Salamanca Prior de Toledo, y fray Martin de Ayllon, Prior de Burgos, diffinidores del capitulo de la miſma ordẽ, celebrado en Segouia, año. 1559. Por la preſente cometemos a los Reuerẽdos padres el Prior de ſant Pablo de Valladolid, y al Maeſtro Cueuas regente de nueſtro Collegio de S. Gregorio de Valladolid, para que vean y examinẽ vna Summa de los ſiete Sacramentos de la Igleſia, q̃ el Padre Preſentado fray Thomas de Chaues ha recopilado del Reuerendo Padre Maeſtro Fray Franciſco de Victoria, de buena memoria, para que viſta por ellos y aprouada, deſde aora le damos licencia para que la pueda imprimir, con tanto que tenga la prouiſion ordinaria del Conſejo Real. Fecha en Sancta Cruz de Segouia, a veynte y dos de Abril. 1559. Fray Iuã de Ludeña. F. Dominicus Caluete, Fray Chriſtoual de Salamanca. F. Martinus de Ayllon. Por diffinidores.

Digo yo el Maestro Fray Iuã de Ludeña, Prior de Sãt Pablo de Valladolid, que la impressiõ desta Summa, collegida de las lectiones del Padre maestro Fray Francisco de Victoria, se nos cometio en el capitulo de Segouia al Padre maestro Cueuas, y a mi, y siendo el viuo communicamos si se imprimiria, o no, y fuymos de parescer que se pueda imprimir, y que sera libro prouechoso para memoria de los que algo saben, y lumbre de los que saben poco de sacramentos y casos de consciencia: y porque este fue nuestro parescer, lo firme de mi nombre. En siete de Febrero de mil y quinientos y sesenta.

Fray Iuan de Ludeña.

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino, Domino Gaspari Stunicæ, Auellanedæ, Archiepiscopo Compostellano, Sacræ atque Catholicæ Maiestati à Consilijs, Frater Thomas de Chaues Salutem dicit.

IN votis mihi semper fuit (Illustrissime atque vndecunq; ornatissime præsul) quoad eius fieri posset, curare, vt præceptoris nostri Francisci Victoriæ, imago animi expressior, æternitati consecrata, sine fine per orbem circunferretur, viri que digni immortalitate, immortalis esset memoria. Et quia vidi semper hoc â nullo pictore, aut sculptore spari debere, vt pote quorum artē vniuersam superaturum esset opus præstandum (quid enim illi præter mutum corpus nobis redderent, si maximè conarentur? verti me ad speciosiores plures effigies quas ipse reliquit, spirantes atque loquentes, pandentesq́; diuini hominis ingenium, omnium rerum capax, omnium rerumq́; locuples. Vnde etiam (quãuis crassiore Mineruá) conijcere licet, placidissimi hominis cōstitutionem ac formam. Plerunque

† 5 enim

enim natura comparatum visitur, vt pulchri animi pulchris & speciosis corporibus sint tributi. Ex pluribus ergo huiusmodi imaginibus præstantissimi hominis, hanc in publicã lucẽ olim dare cõstitui, quæ toto hoc libello sese offert spectãdam. Qui libellus tam felici sydere primùm prodijt, tãtoq; applausu susceptus est, vt nostram (licèt magnam) expectationem vicerit. Hunc ergo noua cura, multis in locis locupletatum, atq; expolitũ, tibi offero protegẽdum, tanquam vnicè tibi debitum, vt qui vnica sis gloria tãti magistri. Fuit enim & in hoc felix Victoria noster, ꝙ te tantũ discipulum, tamq; omnibus numeris absolutum, sortitus est. Bene vale. Hispaniæ nostræ alterum lumen. Apud inclytum nostrũ sancti Petri martyris Toletanum cœnobium Idibus Aprilis anni, 1566.

Admodum Reuerẽdo Domino Francisco Perez, ecclesiæ Toletanæ sancti Genesij rectori, Frater Thomas de Chaues salutem dicit.

OBsecrasti me (admodum obseruande Domine, paterque sapientissime, in Christo Iesu animo meo charissime) ac tuis literis effiagitasti, vt septem Sacramentorum Ecclesiæ mysteria in summam quandam redigerem, atque doctrinarum fluenta, quæ doctissimus magister Frater Franciscus a Victoria inter legendum materiam de Sacramentis in suos discipulos longè lateque effuderat, in compendium cogerem. Cùm itaque considerarẽ, obsecrationem eius qui potest prę cipere, vicem vrgẽtis obtinere mandati, quanuis alio me solicitudines quibus assiduè distringor euocarent, tua me tamen merita (haud spernenda) pepulerunt, vt ibi potissimum meum desudaret ingeniũ, cui iam pridem animum consecraueram. Et licet hoc meum erga te obsequium, communibus alijs laboribus (in quos me totum reiecit obedientia) iniuriam videatur afferre, non sum tamen ratus inique facere, priuatæ tuę vtilitati inseruiens: qui solus vniuersitatis merita propemodũ æquas, cui etiam lõge sum ego magis astrictus, quam cæteris vniuersis. Omitto interim, quod huius nostri suscepti laboris fructus, nõ ad te solùm, sed ex te in plures alios debet pmanare: qui animũ tuũ tãquã lucer-

lucernam ardentem, non sub modio clausam, sed in edito sitam loco suspiciũt. Itaque quod communi vtilitati in hoc meo opere vna ratione videbar subtrahere, multis alijs (siquis recte expenderit) cum amplo fœnore restituto. Cape igitur ouans, pater intergerrime hoc me munusculum, quod licet inglorium, licet exile, nunquam vlli à me nisi tibi concessum. Sic autem Sacramentorũ materiã in hoc breni opusculo collegi, vt nihil (nisi meus me fallit animus) quod ad rẽ pertinet subticuerim, nihil superfluũ admiserim, quorum alterum mihi vitio verteres, alterum (noui enim te) repudiares. Et vt auidius maiorique cum fide opus hoc legeres, nihil ex meo prõptuario deprõpsi Omnia ex ditissimo penu mei sapientissimi magistri sunt eruta, qui ex integro meo rogatu, scripturam perlegit, quo nullus tibi in animo dubitationis scrupulus resideret.

Vale.

Illustrissimo, ac Cla rissimo Principi Dño Gaspari Stu nicæ Auellanedæ, Archiepō Cōpo stellano, Sacræ, ac Cath. Maiest. a cōsilijs, Andreas a Porto-narijs Typògraphus hu millimapedum basia.

SOcrates apud Platonem, clarissi. Princeps, in libros, quos de Rep. inscripsit, cùm leges tulisset sanctissimas, mores cōposuisset, talem reinp. cōstituisset, qualē inter veteres, quos diuinę legis nō illustrasset splendor, nulla vnquā vidit ætas, voluit in ea rep. columina esse firmissima, quorum humeris religio, & sanctitas felicissimè innixa recūberēt, sub quorum vmbram se reciperēt, qui sacra rerum diuinarum studia colerēt, qui res maximas molirentur, qui aliquid cōcederēt, quod in reip. vtilitatē cederet. Erat tam acri, ac diuino ingenio Socrates hic, vt hos viros quos religionis columina appellat, & lumina reip. & ciuitatis ornamenta fulgētiss. taleis esse sanxerit, qualis ipse es, Clariss. Princeps, nataliū splendore insigneis, generis stemmate claros, rerū

diuina

diuinarum & sacrosanctæ Theologię sciẽtia, & laurea longè, lateque nitenteis, q sub cliẽtela taliũ heroũ fieri nõ posset, qui studia virtutũ incredibileis facerẽt progressus, quæ honore aluntur, premijs excitãtur, mirabiliter Principum fauore prouehũtur. Neque fieri potest, vt is, quem generis claritas & familiæ splendor illustret, si accesserit ratio, cõfirmatio doctrinæ, præcipueq; illius, quæ trãscendens æthereos orbeis Deum mẽte atque animo complexa, tota in eius contemplatione fixa est, non foueat literas, nõ omni liberalitate prosequatur, viros veris virtutibus insigneis, nõ aperiat, velut portũ quẽdã, cultoribus sapientiæ, vt merito, qui aliquid cuderint ingenio, huic tali suos nũcupẽt labores, sua dicẽt studia, & inde suorũ studiorũ petãt fauorem. Quæ ego mente, atque animo cogitans, persuasi mihi talẽ principem describi literarum patronum, religionis columẽ, reip. perspicacissimũ oculũ, qualis ipse es. Clariss. Priceps, generis stẽmate inter Hispanos Principes lõgè fulgentissimus, sacratę Theologię laurea in hac Academia insigni redimitus, professor sacrarũ literarũ, Cathedrarius olim sacrosanctæ Theologiæ in hoc emporio literarũ celeberrimo, clarissim⁹, ita Scoticos enodabas nodos, ita. D. Thomæ aurea disceptabas dogmata, vnde te tua virtus in istud editissimũ fastigium dignitatis eu exit, vt Cõpo

stella

ſtellæ Archiepiſcopus illuſtriſsimus Hiſpaniæ clariſsimis epiſcopis præeſſes, tot numero, vt penè Hiſpaniarũ moderere habenas. Neq; id ſolũ, ſed vt Homericus ille aſteropęus dextra, lęuaq; clarꝰ, ab inuictiſsimo Philippo Hiſpaniarũ Rege gubernationi admotus, in omnibus negotijs, quæ tibi ab illo cõcredũtur, ita prudẽter te geras, vt omniũ animos imbuas admiratione, & totius Hiſpanię bono natus eſſe perhibeare. Que ſanxit in illa ſua rep. Socrates, talia eſſe dixit Liuius, vt finxiſſe magis quàm nouiſſe quiſquã potuerit, quod natura humana nõ potuerit tã exactè, vt voluerit Plato omnei implere virtutũ numeros. Certè, quãuis te iniquus æſtimator cõferat cũ illo Reip. Platonis principe (minimum) illi te exequabit, ꝙ ſi non malignè interpretetur, ſuperiorẽ dicet, nullo modo inferiorẽ. Meritò ergo clariſsime princeps, auſus ſum cùm typis excuſerim librũ, qui inſcribitur Sũma de Sacramẽtis eccleſiæ, cõtextũ à doctiſs. viro Patre Thoma de Chaues, ordinis prædicatorũ, tuæ amplitudini nũcupare, Simul etiã, ꝙ liber ipſe ea doctrina eſt refertus tam abdita, tam recõdita, tamq; reip. fructuoſa, vt dignus ſit, quẽ tantus Princeps ſuo proſequatur fauore. Non ſolũ enim Curionibus, qui parœcijs præfecti ſunt, quibꝰ animarũ gubernandarũ incũbit cura magnas hic liber afferet cõmoditates, ſed etiã literatis homini-

minibus, & ſacrarum literarũ profeſſoribus erit vtilis, & cõmodus. Acceſsit illud quoq; cur ego ipſe meo quoq; nomine tibi hunc librum dicandum putarim, ꝙ ipſe tuam indulgentiſsimam benignitatẽ ſum expertus, quãdo apud Senatores Regios. S. C. M. cauſam hanc habui, & litigaui, ne hoc liber excuderetur typis vnquã poſthac ita vt olim erat excuſus, ꝙ mendis ſcatebat, & nunc denuò ab authore vitijs repurgatus, auctus eſſet, & amplificatus, adeò vt nõ idem eſſe videretur, ita plus tertia parte auctus eſt, quã erat is, quem Sebaſtianus Martinus excuſerat, cũ poſtea ipſe auctor ex Cõcilio Tridentino cæterisq; Cõcilijs multa in hoc opus cõgeſſerit docta, acuta, quæq; nemo ſanꝰ nõ ſuſpiciat, & admiretur. Cliẽs ergo olim tuus, Princeps clariſsime, iã inde ab eo tẽpore, quo ĩ hac Academia ſacræ Theologiæ Cathedrariꝰ ſumma cũ laude literas ſacras ꝓfitebare, nũc hoc nouo beneficio auctus, librũ hũc, quẽ tuo bñficio Senatus Regiꝰ mihi ꝑmiſit excludere, vetuitq; ab alijs typographis in vulgꝰ edi, vt olim editus erat tibi ꝓ exiguo munere offero. Tu vt olim Artaxerxes Rex aquã manu hauſtã, & oblatã à ruſtico, ꝙ nihil aliud erat ad manũ, qđ illi offerret, lętiſsimo, atq; hilari vultu excepiſſe dicit̃ hoc exiguũ munꝰ à mea tenuitate profectũ excipe Princeps clariſs. & æqui, boniq; cõſule. Vale Princeps pręcellẽtiſsime

QVIA VT AIT CICERO. OFFICIO. I.

OMNIS QVI DE RE ALIqua inſtituitur ſermo, debet à diffinitione proficiſci, vt intelligatur quod ſit id de quo diſputatur.

ARTICVLVS. I.

QVAERITVR in primis, quiſt ſit ſacramentum? Diffinitio autem ſecundùm eundem Cicero. debet eſſe breuis, & dilucida oratio, naturam rei exponens. Et ideò Auguſti. libr. 10. de ciuita. Dei, ſic diffinit. Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum. Hæc diffinitio habetur de conſe. d. 2. c. ſacrificium. Hæc eſt etiam prima diffinitio earum quas Magiſter ſententiarum ponit in. 4. diſt. 1. & Sanctus 1 Sacramẽtũ qd ſit.

Thomas tertia parte. quæſtione. 60. articu. 2. Vbi aduerte, quòd quando dicit ſacræ rei, non intelligitur quælibet res ſacra, quia ſic crux, & multa alia eſſent ſacramentum, ſed res ſacra ſanctificans nos. Cùm etiam ſacramentum ſit ſignum quoddam, ſigna autem propriè debeantur hominibus, & ſacramẽtum ſit proprium hominum, oportet vt per rem ſacram intelligamus rẽ homines ſanctificantem. Per ſignum etiam non intelligas quodcunque ſignum, ſed ſignum exterius quod communiter vocatur ſignum, & quod diffinit Auguſt. 2. de doctrina Chriſtiana dicens. Signũ eſt quod præter ſpeciẽ quã ingerit ſenſibus facit aliquid aliud in cognitionẽ venire. Eſt igitur ſacramentum, ſignũ ſenſibile rei ſacræ, nos ſanctificantis. Per rẽ ergo ſacram nos ſanctificantem, intellige principaliter gratiam gratum facientẽ: quamuis S. Tho. 3. p. q. 60. arti. 3. dicat tria figurari in ſacramentis. Primum,

mũ,cauſam effectiuã nr̃æ ſanctificationis ſcilicet paſsionẽ Chriſti. Lucæ. 22. Hoc facite in meam cõmemorationẽ. Et. 1. Corinth. 11. Quotieſcũque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortẽ dñi annunciabitis. Secundũ, cauſam formalẽ nr̃æ ſanctificationis, ſcilicet gratiam. Tertiũ, cauſam finale, quæ eſt gloria. Vnde eccle. cantat ex officio. S. Tho. O ſacrum conuiuiũ, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſsionis eius, ecce primũ: mens impletur gratia, ecce ſecundũ: & futuræ gloriæ nobis dignus datur, ecce tertium. Sunt & aliæ diffinitiones ſacramenti, quæ ſub alijs verbis idẽ quod prima iã poſita docent. Sacramentũ, ait Magiſt. ſententiarum, eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, vt eius imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Et Auguſtinus libro. de corpore Chriſti. Sacramentum eſt per quod ſub tegumentis rerum viſibilium, diuina virtus ſecretiùs ſa-

lutem operatur. Et Hugo. de S. Victo. libr. de ſacramentis. 1. part. cap. 1. Sacramentum eſt materiale elementum, foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutiõe ſignificans, ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem & ſpiritualem gratiam. Et hæc de diffinitione ſacramenti ſufficiant.

2 Sacramẽta veteris & nouæ legis quo differant.

VISA ſacramẽti diffinitione, quia de ſacramentis nouæ legis eſt noſter hic tractatus. Cum iuxta fidem certiſsimum ſit ſacramenta nouæ legis, á ſacramentis veteris legis differre, vt habetur in conci. Triden. ſeſsio. 7. de Sacramentis in genere. Cano. 2. videre oportet in quibus differant noſtra ſacramenta á ſacramentis veteris legis, maximè a circunciſione, quæ ſecundùm Augu. & doct. cõferebat gratiã ex opere operato. Notandum ergo, primò certum eſt, quòd ſacramenta veteris legis non aperiebãt cælum, vt patet ex multis ſa-

cræ scripturæ locis. Oēs enim antiqui patres, etiam sanctissimi fatebantur se in infernum descensuros, vt Iacob Gene. 37. Descendam ad filium meum lugens in infernum. Iob. 14. Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me? & 17. & infernus domus mea est, & ps. 88. Quis est hō qui viuet, & non videbit mortē: eruet animā suam de manu inferi? Et certum est q̄ sacramenta nouæ legis aperiant ianuā cæli. Christus in sua passione aperuit eam in communi toti generi humano, in particulari verò aperiūt sacramenta. Matth. 3. Prædicabat Ioannes, poenitentiā agite, appropinquauit regnū cælorum. Ephe. 2. Cuius gratia estis saluati, & consedere nos fecit in cælestibus. Rom. 8. Si filii, ergo & hæredes. Matth. 25. Venite benedicti patris mei, percipite regnū. Et Matth. 3. Iesu baptizato, aperti sunt cæli. Ex hoc sequitur, q̄ sacramenta veteris legis, non ponebant homines in sta

tu sufficienti perueniendi ad vitā æternam & per consequens non dabant salutem, quia vltima salus est beatitudo, ac proinde tunc gratia non erat perfecta. Vnde, tunc quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo: quia scilicet, non habebat ius adeundi vitam æternam, ab extrinseco, quia nondum aperuerat Christus ianuā cæli. Per peccatum enim Adæ, & quodcūque actuale peccatū, non solùm Adā incurrit indignationem, sed etiam omnes posteri eius, & tota natura humana: & sic duplex olim erat indignatio, scilicet contra personam, & contra naturam. In veteri autem lege, per sacramenta tollebatur indignatio prima particularis contra singulos homines, sed tñ manebat ad huc indignata Deo tota natura humana, quæ indignatio nūquā vsque ad Christum à toto genere humano fuit ablata, & sic nō erant Deo perfecte grati in illa lege veteri, sicut nunc in no-

ua,quando omnis indignatio particularis & communis ablata est. Et ista sufficiant de sacramentis veteris legis.

QVAERITVR, quot sint sacramenta nouæ legis? Respondeo, quòd septem, Baptismus, Cōfirmatio, Pœnitētia, Eucharistia, Ordo, Matrimoniū, Extrema vnctio. Hoc determinatum est in Concil. Florenti. sub Eugen. 4. & in capi. ad abolendam. extra de hæreticis. Excommunicātur & dānantur, qui de ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere præsumpserint, q̃ ecclesia Romana docet. Præterea idē patet ex Cōcil. Tridē. Sessi. 7. de sacramentis ingñre. Can. 1, cuius verba sunt. Si quis dixerit sacramēta nouæ legis esse plura vel pauciora q̃ septē, videlicet, Baptismū, Confirmationē, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremā vnctionē, Ordinē, & Mrimoniū, anathema sit. Cùm ergo ecclesia Romana in dictis concilijs, & in vsu teneat. 7. esse sacramēta nouæ le- 3 Sacramēta quot sint.

gis, iã nemini licebit de hoc dubitare.

4 DVBITATVR, â quo fuerint ſtituta ſeptem prædicta ſacramenta. Reſpon. Iuxta fidem omnia ſeptem inſtituta fuiſſe á domino noſtro Ieſu Chriſto. Nam expreſsè diffinitur in Concilio Tridentino. Seſsio. 7. de ſacramẽtis in genere. Can. 1. Cuius verba ſunt. Siquis dixerit ſacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia a domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta: Anathema ſit.

QVAERITVR item, an omnia predicta ſeptem ſacramenta, ſint verè & ꝓpriè ſacramenta. Rñdetur iuxta fidẽ certiſsimũ eſſe omnia eſſe ꝓpriè & verè ſacramẽta. Patet ex prædicto Cõcil. Trident. Canone illo primo. Cuius verba ſunt. Si quis dixerit aliquod horum ſeptem ſacramẽtorũ nõ eſſe verè & propriè ſacramẽtũ, anathema ſit. Vnde cõſtat ſententiam Durãdi, quæ olim ſub opinione defendebatur; iam nunc inter hæreſes eſſe computandam.

QVAE-

QVAERITVR an hmõi septem nouæ legis sacramenta, gratiam contineat ipsamque semper & infallibiliter omnibus & singulis dignè ea suscipiẽtibus, cõferant, etiam ex opere operato, hoc est ratione sui. Rñdetur ad quæstionem affirmatiuè, quantum ad omnes & singulas eius partes. Et oppositum est hæresis, patet ex Concil. Tridentino. Sessione. 7. de sacramentis in genere. Canone. 6. 7. &. 8. verba Sexti sunt. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiã ipsam non ponentibus obicem, non conferre, anathema sit. Canonis verò septimi verba sunt. Si quis dixerit non dari gratiam per hmõi sacramenta semper & oĩbus, quantum est ex parte Dei, etiã si ritè ea suscipiãt, sed aliquãdo & aliquibus, anathema sit. Cañ. 8. verba sunt. Si qs dixerit per ipsa nouæ legis sacramẽta ex opere operato non conferri gr̃am, anathema sit. 6

7 SVFFIcientiam & congruitatem
Sacramẽtorũ ſufficientia. huius numeri docet.S. Th. 3. p. qō.65. arti.1.dicens.Sacramenta eccleſiaſtica ordinantur ad duo ſcilicet ad perficiendum hominem in vita ſpirituali,ſeu in cultu Chriſtianæ religionis, & in remediũ contra peccatũ,& quãtũ advtrunq; cõuenienter ſunt.7. Vita enim hoĩs ſpiritualis,ſimilitudinem habet ad vitam corporalẽ,propter quod eodẽ nomine vocatur vtraq; vita.In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur,vno modo quantum ad propriam perſonã, & hoc dupliciter,ſcilicet aut acquirendo perfectionem,aut remouendo impedimenta. Perficitur autem vita perfectione prima per generationem: quãdo adquirit vitam: & loca iſtius generationis ſuccedit baptiſmus, qui vocatur regeneratio, qua homo cùm eſſet mortuus per peccatum, recipit vitam per lauacrum regenerationis, & renouationis ad Titum, 3. Secunda perfe-

ctio

ctio est augmētum, cui succedit secundum sacramentū confirmationis, quod principaliter in Pentecoste est institutum quando dominus dixit, Sedere in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Tertia perfectio vitæ corporalis est nutritio, quæ est conseruatio vitæ, & loco huius succedit eucharistia. Vnde Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed quia homo interdum incurrit ægritudines, habere debebat remedium: quod quidem est duplex, vnum ad repellendum morbum, vt phaimacum: alterum ad restituēdas vires. Sic etiam in vita spirituali, ad expellendas infirmitates peccati, est poenitētia. Psal. 11. Sana animam meam quia peccaui tibi, Alterū ad expellendas reliquias peccatorum, & est extrema vnctio, de qua Iacobi. 5. Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei. In ordine autem ad cōmunitatē

persi-

perficitur homo dupliciciter, vno modo ſuſcipiendo poteſtatẽ regendi:& loco iſtius ſuccedit ordo. Alio modo ſecundum naturalem propagationem, quod fit per matrimonium, tam in corporali quam in ſpirituali vita.

DE SACRAMENTO Baptiſmi tractat Magiſter quarto. diſtin. tertia. & dicit, quòd baptiſmus eſt ablutio exterior corporis facta ſub forma verborum præſcripta & determinata. Tractat de hoc ſacramẽto ſãctus Thomas tertia parte, quęſtione. 66. Tractatur etiam de baptiſmate, in Cõcilio Florentino. Et abundè ſatis in Concilio Tridentino, Seſsione. 7. de Baptiſmo, per canones quatuordecim.

DVBI-

DVBITATVR, quandó fuit inſtitutus baptiſmus? vtrùm ante Chriſti paſsionem vel poſtea? Reſpondeo per duas propoſitiones. Prima certiſsimum eſt, quod fuit inſtitutus â Chriſto ante paſsionem: Patet hoc Ioan. 3. vbi expreſsè habetur, quòd Chriſtus baptizabat. Et Ioann. 4. declaratur quomodo baptizabat, quanquam Chriſtus non baptizaret, ſed diſcipuli eius baptizabant de mandato ipſius, quia aliâs Chriſtus non diceretur baptizare. Non eſt autem veriſimile, quod Chriſtus baptizaret baptiſmo Ioannis, nec etiam apoſtoli Ioānis baptiſmo baptizabant, vt dicit Hierony. in epiſto. ad Seleucianum, & in ſermone Ephiphaniæ: Aliàs inter diſcipulos Ioann. non fuiſſet inuidia, qui dolebant eò, quòd plures baptizaret Chriſtus quàm Ioannes, nam ille baptiſmus diceretur Ioannis, non Chriſti. Item ſacramenta ſunt 8

Babtiſmus quādo inſtitutus.

inſtru

inſtrumẽta noſtræ redemptionis: cùm ergo Chriſtus perfecerit redemptionem in paſsione vel reſurrectione, & baptiſmus ſit potiſsima pars redemptionis, ſequitur, quòd fuit inſtitutus ante Chriſti paſsionem Et ita tenent omnes doctores.

9 SED quæritur, quando? Quidam Beda. 2. dicunt, quòd quando Chriſtus baptizatus fuit in Iordane, tunc enim ſanctificans aquas, vim regeneratiuam illis contulit. Alii dicunt, quod fuit inſtitutus, quando Chriſtus dixit diſcipulis ſuis, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Marci vltim. Sed hoc refellitur, quia fuit inſtitutus ante paſsionem, prædicta autem verba dicta fuere poſt reſurrectionem. Sanctus Thomas & Nicolaus de Lyra, tenent, quòd fuit inſtitutus quando Chriſtus fuit baptizatus in Iordane. Ioann. 1. & ita tenendum eſt ſine aliqua dubitatione.

QVAE-

QVAERITVR, quando baptiſmus incepit obligare, & conſequenter alia ſacramenta nouæ legis, ac proinde quando ceſſauerunt legalia? Reſpondeo per propoſitiones. Prima propoſitio, Ante paſsionem & mortem Domini, circuncifio & alia legalia fuerunt ſemper ſub præcepto. Probatur, nam Chriſtus non ſoluit veterem legem, antequàm eam impleret: ſed non fuit impleta vſque ad paſsionem, cùm dixit conſummatum eſt. Ioannis decimonono. Ergo ante paſsionem legalia non ceſſauerunt: per paſsionem enim ſuam (vt ait Paulus) liberauit nos Chriſtus à ſeruiture legis. Secunda propoſitio, In paſsione Domini omnia legalia fuerunt extincta quantum ad præceptum, & quantum ad virtutem. Volo dicere, quòd poſt paſsionem Domini nō erat præceptum de circunciſione, nec de aliquo in alio in lege ſcripta: totaliter em̄ extin-

10 Baptiſmi obligatio quādo incepit.

extincta erat quãtum ad vim illã quam prius, habebat, & nullũ omnino habebat effectum. Lex eñ illa fuit inſtituta ad ſignificandũ gratiã noui teſtamenti quæ per Ieſum facta eſt, ac proinde mortuo Chriſto debuit ceſſare: ſicut adueniente luce ceſſat vmbra. Item legalia non conferebant gratiam perfectam: ergo dum venit quod perfectũ eſt, euacuatum eſt quod ex parte erat. 1. Corin. 13. Reprobatio fit prioris mãdati propter infirmitatem eius & inutilitatem, nihil enim ad perfectum lex adduxit, introductio verò fit melioris ſpei. Tertia propoſitio. Ante promulgationem ſufficientem euangelii, per aliquod tempus legalia non erant mortifera: ad hunc ſenſum, quia licebat obſeruare ea & non erat peccatum etiam ſcienti & non ignorãti legem Chriſti. Prob. quia Paulus circuncidit Timotheũ. Act. 16. & purificauit ſe. Act. 21. Hoc autem permiſſum fuit, vt Auguſt.

Legalia quando ceſſauerunt.

ait

ait,vt ſynagoga cum honore ſepeliretur. Vt oſtenderetur igitur ꝙ fuerat bona & ſancta, non eſt illi ſtatim poſt paſsionem derogatum. De iſta propoſitione fuit magna controuerſia inter Hieronymũ & Auguſti. Hieron. enim videtur ſentire, quę ſtatim poſt paſsionem legalia fuerunt mortifera, & factum Pauli & Petri excuſat, quia fuerunt quædam piæ diſpenſationes & ſimulationes, vt vitaretur ſcandalum. Sed Auguſtinus oppoſitum omnino tenet, & quidẽ diſertè & eleganter diſputat. Si enim iam eſſent mortifera, propter nullũ ſcandalũ licuiſſet Paulo circuncidere Timotheũ, nec ſimularet circuncifionem, etiam pro ſalute totius populi Iudæorum, quia eſſet mendacium in facto. Petrus autem incautè ſe habuit in obſeruatione legaliũ, nimiũ condeſcendens Iudæis illis, qui legalia obſeruanda eſſe dicebant, ita vt aliqui eius exẽplo inducerentur ad eorum ob

ſeruantiam, quaſi eſſent neceſſaria: & ideo Petrus aliquã leuem culpam incurrit, & erat reprehenſibilis, vt ait Paulus. Quarta & vltima propoſitio, Poſt ſufficientem promulgationem euãgelij omnia legalia fuerunt & ſunt mortifera. Hoc determinatum eſt extra de baptiſmo & eius effectu. c. maio. & ĩ cõci. Florẽti. dãnati ſunt Cherinthus & Ebion, cõtrariũ tenentes. Et ad Gal. 5. Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil ꝓderit.

11 SED dubium eſt, quando fuit facta ſufficiens promulgatio euangelij? Reſpon. ꝙ non eſt certum. Non enim poteſt dici quòd fuit facta in Pentecoſte, quia poſtea Paulus circuncidit Timotheum, & Petrus ſeruabat legalia, vt patet Actu. 10. Abſit à me dñe, commune & immundũ nõ introiuit in os meum. Nec poteſt dici quòd in. 3. concil. celebrato. Actu. 15. quia poſteà purificatio Pauli facta eſt. Actu. 21. & in illo concilio continentur aliqua legalia, ſcilicet

Promulgatio Euangelij, quando fuit facta ſufficienter.

vt abſtineant à ſuffocato & ſanguine. Dicunt aliqui, quòd tunc facta eſt ſufficiens promulgatio, quando Titus & Veſpaſianus deſtruxerũt Hieruſalem. Permiſsio enim legalium poſt paſsionẽ, erat propter Iudæos. Cum igitur illi tunc ſint penè extincti, ſine lege, ſine rege, ſine Deo, vt dicit Lactan. videtur quòd ex tunc omnia legalia ſint mortifera: & licèt hoc non ſit certum, nõ eſt tamen aliquo pacto dubitandum, quin nunc & per multas annorum centurias anteà fuerint legalia mortifera. Circunciſio enim fuit inſtituta ad ſignificandum aliquid futurum in Chriſto, & ſic modo eſſet mendacium pernicioſum. De baptiſmo igitur, & de omnibus ſacramentis nouę legis, ait Sanct. Thom. quòd poſt paſsionem Domini cœperunt habere vim obligatoriam, quia tunc ceſſauerunt legalia: vt apertè dicit prophetia Daniel. 9. Et in dimidia hebdomada occidetur Chriſtus, & ceſ

ſabit hoſtia ſacrificium. Probatur autem hoc, quia Marci vlti. Chriſtus dixit, Ite, docete omnes gentes baptizantes eos, &c. qui nõ crediderit, condemnabitur. Hoc autem dictum fuit ante Pentecoſten, & apoſtoli prædicabant eo modo quo Chriſtus præceperat, ſcilicet, Niſi baptizemini & credideritis condemnabimini: ergo tunc tenebantur ad babtiſmum, & per conſequens ad alia præcepta nouę legis.

12 QVAERITVR, quæ ſit materia ſacramenti baptiſmi? Rñdetur, ꝙ aqua ſimplex, quia habet ꝓportionē ad effectũ ſpiritualē, quoniã mundat, & eſt cõmunior materia, quã omnes facilè poſſunt habere. Patet hoc Ioã. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſãcto, nõ poteſt. &c. Et ita diffinitur in concilio Florenti ſub Eugenio. 4. Et item in Concil. Tridenti. Seſsione. 7. de Sacramento baptiſmi. Cano. 2. cuius verba ſunt. Siquis dixerit aquã veram & naturalem

Baptiſmi materia quæ ſit.

talem nõ eſſe de neceſsitate baptiſmi, atq; ideo verba illa Domini noſtri Ieſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit: cum niue autem & cum glacie, non poſſet quis baptizari, quia eſt alterius ſpeciei quàm aqua. Poſſet tamen baptizari aqua reſoluta ex niue, aut glacie, ſeu gelu, quia iam eſt vera & ſimplex aqua: quanuis de hoc Marſilius dubitet, & quidam alij. In aqua verò roſacea & alijs artificialibus aquis, non poteſt quiſpiam baptizari, quia non ſunt aquæ ueræ.

QVAERITVR, quæ ſit forma huius ſacramẽti? Rñdetur, ꝙ hæc, ego te baptizo in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Patet hoc Matth. vlti. & in Conci. Floren. Quæritur vtùm mutatio huius formæ vitiet ſacramẽtum? Rñdeẽ, ꝙ duplex eſt variatio, quædam quæ mutat ſententiam & ſenſum for- 13 Baptiſmi forma q̃ ſit.

mæ, & talis euacuat ſacramentum. Altera quæ non mutat ſenſum & ſententiam formæ, & talis non tollit ſacramẽtum. Vnde in cap. retulerunt. de cõſec. diſtinct. 4. Zacharias papa determinauit, quòd ille qui dixit, Ego te baptizo in nomine patrias, & filias, & ſpirituas ſanctas, verè baptizauit.

14 Error in forma an vitiet ſacramẽtũ.

QVAERITVR, an ſi diceret, Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti & ꝓcedẽtis, verè baptizaret? Rñdetur, ꝙ S. Th. hìc, &. 3. p. q. 66. arti. 5. &. 6. dicit ꝙ non. Idẽ. tenet Scot. Bonauẽt. Ricar. Tho. de Argẽtina. Gabri. Aliaco, & Marſi. Palud. tamen dubitat. Caiet. autem tenet omnino contrariũ, aſſerẽs ꝙ ibi eſſet verum ſacramẽtum, quod probet multis argumẽtis. Nã de conſe. d. 4. c. à quodã Iudæo habetur, ꝙ cùm quidã Iudæus baptizaret, determinauit Papa, ꝙ ſi baptizabat in nomine Trinitatis vel Chriſti, vel patris & filij & Spiritus ſancti (vnum quippe & idem

idem est) nõ debebat iterum baptizari. Plus autem differt nomen Christi, à nomine Patris. & Filij, & Spiritus sancti, quàm nomen genitoris, geniti, & procedentis: ergo. Hanc opinionẽ Caieta. reputat certam magister Victoria. Fatetur tamen ꝙ taliter mutare formam esset contra præceptum proinde peccatum baptismus tamen esset validus.

QVAERITVR, an dicere, Ego te baptizo in nomine Iesu Christi, sufficeret ad baptismum? Respõ. ꝙ hoc aliquando fuit licitum & sufficiens. Patet quia vt dicitur Act. 2. &. 8. apostoli baptizabant sub illa forma: quod factum est ex instinctu Spiritus sancti propter odium quod habebant Iudæi ad nomẽ Christi, vt incitarentur ad mortem eius. Vel forsan, quia apostoli non audebant in principio prædicationis suæ, apertè nominare Trinitatem populo infirmo. Sed vtrum sufficeret nunc prædicta forma? Respondet S. Tho. 3. p. q. 15

Baptismus in nomine Christi, an sit validus.

 66.

66,art.6.dicit q̄ nō,& ita tenent cōmu
niter docto. Quia dicitur Matth.vlti.
Baptizantes eos in nomine Patris &
Filij & Spiritus sancti. Et capit,in syno-
do,de conse.d.4.Euge.expressè deter-
minat,quòd si quis in forma baptismi
vnam personam non nominaret, non
baptizaret,& ibidem capitu.si re vera.
dicitur, q̄ si quis baptizaret in nomine
domini,non esset baptismus. Et Dydi-
mus in libr.de Spiritu scto̅, dicit q̄ qui
in forma baptismi nominaret vnam
personam Trinitatis sine alijs, non ba-
ptizaret. Cum apostolis autem dispen
sauit Spiritus sanctus propter rationes
iā dictas. Caietan.verò oppositū tenet.
3.p.q.66.art.6.& Magist.sent.hìc in li-
tera & Hugo de S. Victore.lib.2, de sa-
crament.par.6,c.2,& Adrian.in.4.q.2.
Quia in capi.à quodam Iudæo,dicitur,
quòd qui baptizatus est in nomine
Christi,non est rebaptizandus. Sed for
tè prædictum caput noluit hoc deter-
mi

minare tanquam de fide. Res mihi dubia eſt & ambigua, & ideo nihil volo determinare: vtraque opinio eſt probabilis, & periculoſum eſt hìc tenere in tanta materia, quod certum non eſt.

QVAERITVR, an eſſet baptiſmus ſi quis diceret; ego te baptizo in nomine ſanctiſsimæ Trinitatis & indiuiduæ vnitatis? Rñdetur, quòd oẽs dicunt, quòd non. Ita tenet Sanct. Tho. Scot. Adrianus, & cæteri. Caietanus tamen tenet, quòd eſt verus baptiſmus, propter illud capitu. à quodam Iudæo. Certè ego in hac re non credo Caietano, ſed dico, quòd non eſſet baptiſmus. Et idem dico de eo qui diceret, Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; non eſt baptiſmus. ita tenet Palud. 4. diſtinct. 3. quæſtio. 1. arti. 3. & Magiſter Sentẽtiarum. 4. diſtinct. 3. cap. 5. 16

Baptiſm⁹ in nomĩe Trinitatis.

QVAERITVR, an requiratur quòd miniſter, ſeu baptizans exprimat 17

Baptizãs an đbeat

exprime re ꝓpriã perſonã. propriam perſonã, dicẽs, ego? R ñdetur quod ſufficit dicere virtualiter, vt ſi dicat, Baptizo te, &c. Sed vtrum ſit neceſſarium ꝙ exprimatur ſaltem virtualiter? Reſpondeo, ꝙ non, & ita tenent omnes. Nã Græci baptizant ſub hac forma, baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, &c. Et eſt verus baptiſmus, vt tenet S. Tho. 3. p. q. 66. arti. 5. 1. &. 2. Et ita tenendum eſt ſine dubio. Quanuis in. c. 1. ſi quis. de baptiſ. videatur dici contrarium, ſed intelligitur de illis, qui tantumodò dicunt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: non dicendo baptizo, vel baptizetur. Si quis autem diceret (cauſa grauitatis) nos te baptizamus in nomine, &c. non eſſet baptiſmus, ſecundùm S. Th. 3. p. qõ. 66. articul. 54. quia variatur ſenſus formæ. Nos enim, ſignificat ego & tu. Si autẽ epiſcopus, vel alia magnifica perſona baptizetur ſub illa forma, eſt verus baptiſmus, qui iam ex circunſtantijs &

accom

accõmodatione patet tantundẽ ſignificari, ſicut ego tẽ baptizo. Duo autem ſi ſic baptizant, & vnus aquam mittat, alter verò dicat, ego te baptizo. &c. nihil faciunt, quia eſt falſa forma illius qui dicit ego te baptizo. Si verò ſimul & ſemel ambo baptizant (quia contendunt de præbenda) ita quòd quilibet totum faciat, eſt verus baptiſmus, nec de hoc dubito, niſi quilibet dicat, nos te baptizamus. Tunc enim ſecundùm Sanct. Thom. 3. p. q. 66. arti. 5. &. q. 67. artic. 7. non eſt baptiſmus: quod ego reputo ſecurius, licèt oppoſitum dicat Caieta. 3. par. q. 67. ar. 7. & Palu. 4. diſt. 3. q. 2. & Durand. 4. diſt. 3. q. 3.

Baptizare vnum an poſsit duo ſimul.

SED vtrum requiratur ꝙ nominetur perſona baptizata ſcilicet te? Reſpond. quòd Scot. 4. diſt. 3. q. 2. art. 3. & Gabriel. 4. d. 3. q. vnica. dicunt ꝙ ſic, & ita tenendum eſt, nam requiritur ꝙ verba baptizantis applicentur alicui. Sed vtrum quis poſſet ſeipſum baptizare? 18

Baptizata perſona an debeat explicari.

Re-

Reſpond. quòd non, vt patet. c. debitũ. de baptiſmo, vbi hoc determinatur. Sed vtrum eſſet baptiſmus ſi quis diceret, ego te abluo, vel mergo? Rñdetur, quòd ſic, quia verba ſunt ſynonyma: quicquid dicat Gloſſa in capi. multi ſunt. Et fœminæ ſermone Hiſpano baptizantes, meliùs faciunt, quam illæ quæ baptizant ſermone Latino, quia ſciunt meliùs pronuntiare verba Hiſpana quàm Latina.

19 DVBITATVR, an requiratur merſio babtizati in aqua, vel an ſufficiat tingere ipſum? Reſpond. quòd fuit antiqua conſuetudo, vt mergeretur, iam verò non oportet, ſed quilibet ſeruet morem ſuæ diœceſis. Vnde in Germania ponitur duntaxat guttula aquæ, &c. In locis autem vbi conſuetum eſt ter mergere puerum, ſi ante ſecundam vel tertiam merſionem, dicta forma baptiſmi, puer moriatur, verè baptizatus eſt, vt dicit Caieta. licèt Palude oppoſi-

Merſio baptizati, an requiratur

oppoſitum teneat. Si autem timeatur mors pueri ſi mergeretur, non debet mergi, ſed ſufficit eum aqua aſpergere quicquid dicat Palud. 4. d. 6. q. 1. arti. 3. nam contra eum tenent omnes Doctores. Si verò quis diceret, ego te baptizo in nomine patris, &c. & mitteret puerum in flumẽ, vtrùm eſſet baptiſmus? Reſpon. Palud. 4. diſt. 3. quæſt. 1. & Scotus. d. 5. q. 3. & Marſi. 4. q. 1. & communis opinio dicit, quòd non eſt baptizatus talis puer. Sylueſt. etiam tenet idẽ, & hoc intelligendum eſt, etiã ſi ille qui ſic mittit puerum, intendat eum baptizare. Maio. autem in. 4. d. 4. q. 2. & Panor. c. non vt apponeres. de baptiſmo. tenet, quod eſſet verè baptizans. Pro vtraq; parte eſt apparentia. Ego mallẽ tenere, quòd eſſet baptizatus, nihil em̃ refert mittere eum in aquam, vel mittere plurimam aquam ſuper eum.

QVAERITVR. vtrũ baptiſmus remittat omnia peccata etiã actualia? 20 Baptiſmus, an

Et

remittat oĩa peccata etiã actualia.

Et videtur, quòd nõ, quia inſtitutus eſt contra originale. Rñdetur ex ſententia omnium doctorũ, ꝙ baptiſmus remittit omnia peccata etiam actualia. Patet Ezechielis. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mũdabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris. Et eſt determinatum ab eccleſia de conſecr. d. 4. c. paruulo. & c. regenerãte. & ſunt verba Auguſtini, & figuratum fuit Exodi. 14. in AEgyptijs, de quibus dicitur, nec vnus quidem ſuperfuit ex eis. Vbi dicit gloſſ. ſic peccata omnia in baptizato. Item originale non dimittitur ſine gratia, ſed gratia non patitur ſecum peccatũ mortale, ergo omnia peccata mortalia remittuntur in baptiſmo. Hæc cõcluſio eſt de fide, & patet ex multis locis ſacræ ſcripturæ, & ex capi. maiores. de baptiſ. ac proinde non licet de ea dubitare. Sed an remittatur tota pœna debita peccatis? Reſpondetur ex ſenten. omnium doctorum ꝙ ſic. Auguſti. in

Enchi-

Enchiri.ca.43.& habetur de cõſec.d.4. capit.per baptiſmum.ait, Per baptiſmū quicquid ab homine dictum, factum, aut cogitatum eſt, totum aboletur, & quaſi factum non ſit habetur. Et Ambroſ. qui allegatur à magiſtro ſenten.4. diſtin.4.dicit ꝙ in baptiſmo non requiritur gemitus peccatorum, quia gratis omnia condonantur: ſed ſi non remitteretur tota pœna, requireretur gemitus peccatorum, ergo. Item, quia aliàs poſt baptiſmum imponeretur pœnitentia ſicut in confeſsione, ſed non imponitur, ergo nullus relinquitur reatus pœnæ poſt baptiſmum. Item vt dicitur Roma.6. In baptiſmo commorimur Chriſto, id eſt, applicat̄ nobis eius paſsio plenè, ergo totam emundat conſcientiam. Et ſi aliqua ieiunia baptizandis ante baptiſmum imponebantur vel permittebantur, hoc erat propter reuerentiam baptiſmi, vel ad ſatisfaciendum pro peccatis, non autem ad tollen

dam

dam pœnam. Remittitur etiã ratione baptiſmi fomes & inclinatio ad peccãdum dicentè Auguſtino. de conſecra. di. 4. c. non ex æquo: quòd nõ ex æquo infeſtatur â fomite baptizatus, ſicut nõ baptizatus. Diminuitur autem non per ſubſtractionem, ſed per additionem cõtrarij, ſcilicet gratiæ virtutis.

21 Gratia & virtutes dantũ i baptiſmo.

QVAERITVR, vtrum in baptiſmo detur gratia? Reſpõd. ꝙ de hoc nõ poteſt dubitari. Nam prꝛterquã ꝙ in ſacra ſcriptura habetur, eſt etiam determinatum in clementi. vnic. de ſum. Trini. & fide catholi. & in capitu. maiores. de baptiſmo. Et etiam virgini Mariæ contulit gratiam, contra quoſdam errantes, & dicentes, ipſam vel non habuiſſe præceptũ baptiſmi, vel non recepiſſe in eo gratiam. Confert etiam virtutes infuſas, vt in prædictis capit. eſt ab eccleſia determinatum.

22 Baptiſmi effe-

QVAERITVR, an baptiſmus omnibus cõferat æqualẽ effectũ? Reſp. dupli-

duplicem eſſe baptiſmi effectũ, vnum ordinatum, qui eſt gratia & virtutes, & remiſsio peccatorum, atque pœnarum alterum aliquo modo annexum, vt donum prophetiæ, & gratiæ gratis datæ de hoc ſecundo effectu, manifeſtum eſt, quòd non ſemper omnibus confertur æqualis. De primo verò eſt inter Theologos concertatio. Scotus enim & Gabriel. & Caietan. tenent ꝙ licèt ratione ſacramenti detur determinata gratia, tamen ratione deuotionis miniſtrorum (vel quia vnus eſt prædeſtinatus ad maiorem gratiam quàm aliùs) eſt maior effectus baptiſmi in vno quàm in alio. Sed ego non dubito quin hoc ſit falſum, & contra ſanctum Tho. Sed dico, ꝙ ſemper ratione ſacramenti datur æqualis gratia. Ita tenet Maio. 4. diſt. 4. quęſt. 3. & hoc intellige de puero. Nam de adulto nõ negarem quin maiorem gratiam baptiſmi recipiat vnus quã alius, quia eſt maior diſpoſitio

ctus, an ſit æqualis in omnibus ſuſcipientibus.

diſpoſitio in vno quàm in alio.

22 QVAERITVR, vtrū qui eſt in actuali voluntate peccandi ſit baptizandus? Reſp. S. Tho. 3. p. q. 68. articulo. 4. & articulo. 8. ad. 4. & Scotus. 4. diſtin. 4 q. 5. Et Palu. 4. diſtine. 4. q. 1. Et Duran. 4. di. 4. q. 2. ꝙ talis non eſt baptizandus, & de hoc non eſt dubitandum. Et Auguſti.) & habetur de conſecra. diſtinct. 4. capit. omnis qui) ait. Omnis qui iam ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, cùm accedit ad ſacramētum fidelium, niſi pœniteat, non poteſt nouam vitam inchoare. Ab hac pœnitētia, cùm baptizantur, ſoli pueri immunes ſunt. Item Actu. 2. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.

An ſit baptizādus qui eſt in actuali voluntate peccādi.

Pœnitentia autem quæ ante baptiſmum requiritur, debet eſſe contritio, ſicut & in ſacraméto confeſsionis: niſi excuſetur ignorantia, qua putat ſe ſufficientem dolorem habere cùm tamen non habeat, tunc enim ſufficit

attritio

attritio cum ſacramento, ſicut etiam de pœnitentia. Et per omnia ſimilis dolor requiritur aute baptiſmum, ſicut ante pœnitentiam: quia dolere de peccatis, eſt de iure naturali, quòd non impeditur à iure diuino. Baptiſmus autem in peccato mortali ſuſceptus, valere incipit fictione recedente, vt determinat Auguſt. capit. tunc valere. de conſecratiõe. diſtinct. 4. maximè ſi habuerit attritionem. Sed quæritur, quare hoc ſacramentum habeat iſtud priuilegium, ꝙ recedente fictione valeat, cùm euchariſtia non habeat illud, imò nec pœnitentia? attritio enim poſt pœnitentiam nihil valet, quanuis cum pœnitentia valeat: & tamen attritio poſt baptiſmum, illius inquam peccati attritio de quo erat fictio, ſufficit ad hoc vt baptiſmus conferat gratiam ex opere operato. Reſpõdet ſanctus Thomas. 4. diſtinct. 4. quæſtione. 3. artic. 2. quòd ratio diſcriminis eſt, quia baptiſ-

mus imprimit characterem, quia iam talis eſt verè baptizatus, & baptiſmus non poteſt iterari: & ſi ſic non reparar etur effectus eius, eſſet in vacuum ſuſceptus. Effectus autem aliorum ſacramentorum iterabilium poteſt recuperari.

24 Baptiſmus triplex. QVAERITVR, an ſint plura baptiſmata? Reſpon. ꝙ ſic, nam triplex eſt baptiſmus, videlicet, flaminis, ſanguinis, & aquæ, vt notat gloſſ. ſuper illud Hebræo. 6. Baptiſmata doctrinæ. Et de baptiſmo fluminis fit mẽtio. 15. q. 1. ca. firmiſsimè. & ibi gloſ. & de conſecra. d. 4. c. neceſſarium. & ibi gloſſ. & Grego. Nazianzenus, Orõne. 2. in ſancta Epiphaniarũ lumina. & Bernardus epiſto. 77. martyriũ vocat baptiſmũ. Et Caſsiodo. de origine officiorum. ca. 24. ponit hæc tria baptiſmata. Et Origen. homil. 4. Leuiti. & Auguſti. 13. de ciuita. Dei. c. 7. Baptiſmus autem flaminis vocatur pœnitentia peccatorũ, & quæcũq; conuerſi

uerſi in Deũ ſufficiens ad infuſionem gratiæ, qui non vocatur ſacramentum, quia non cõfert gratiã ex opere operato. Nec martyrium vocatur ſacramentum, quia iam eſſent plura quã ſeptem ſacramenta nouæ legis. Nec ſunt neceſſariæ in martyrio, res & verba, materia & forma. Sacramenta autem omnia conſtant ex illis.

QVAERITVR, vtrũ pueri ſint baptizandi? Et videtur ꝙ non, quia nemo debet baptizari, niſi voluntariè, ſed in pueris non eſt voluntarium, ergo. Reſpondeo, nullo modo eſt dubitandum, ꝙ pueri ſi non baptizantur, damnantur: ſi autem baptizantur, ſaluantur. Hoc expreſsè determinatur in capit. maiores. de baptiſmo. & Ioan. 3. dicitur, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, &c. Et Auguſtin. contra Iulian. & de baptiſmo paruulorum. ca. 13. &. 30. & de fide ad Petrũ c. 6. & in multis alijs locis determinat, 25

Pueri an ſint baptizãdi.

ꝗ pueri sine baptismo damnantur, & cum illo iustificantur. Pueri enim habent originale peccatum, secundũ illud Roma. 5. Omnes in Adã peccauerunt: sed in noua lege non est aliud remediũ contra originale, nisi baptismus: ergo.

27 QVAERITVR, vtrũ amẽtes, & furiosi sint baptizandi? Respond. quòd si aliquis sit perpetuò amens, quia sic natus est, & nunquam habuit vsum rationis, talis est baptizandus, quia idem est iudicium ac de puero. Secundò dico, ꝗ si amens habuit aliquando vsum rationis, & tunc cùm erat sui compos voluit baptizari, licèt postea inciderit in amentiam, est baptizandus sine dubio. Verum est, ꝗ si quando habuit vsum rationis, & voluit baptizari, constet eum esse in aliquo peccato mortali, à quo nolebat abstinere: malè faceret qui eum baptizaret. Si autem talis de facto baptizetur, vtrùm consequatur gratiam? Doctores concorditer

Amentes & furiosi, an sint baptizandi.

ter dicunt, quòd nihil ſibi proficeret baptiſmus. Nec ego oppoſitum auderem determinatè dicere. Probabile tamen exiſtimo, cùm baptiſmus ſit in remedium peccatorum, ꝙ habet efficaciam erga attritum qui eſt in mortali. Et poteſt etiam baptizari cùm ſit in originali talis furioſus: quòd ſi baptizetur in caſu dicto, ſaluabitur, ne ponamus aliquem in via extra ſtatum ſalutis. Hoc credo multùm probabile. Tertio dico, quod ſi talis cùm habuit vſum rationis noluit baptizari, poſteà lapſus in amentiam non poteſt baptizari quia voluntas præterita reputatur præſens, & ſi baptizetur, nihil ei valet baptiſmus, vt videtur. Quartò dico, ꝙ ſi ſit taliter amens, de quo creditur ꝙ redibit in priſtinam ſanitatem, etiam ſi ante amentiam voluerit baptizari, non eſt baptizandus, ſed propter reuerētiam ſacramenti expectanda eſt eius conualeſcentia, dummodò non ſit pe-

riculum de morte eius.

27 QVAERITVR, an pueri infidelium ſint inuitis parentibus baptizãdi? Eſt quęſtio grauis,& tractatur à Sanct. Tho.3.p.q.68.arti.10.4.d.4.Capre.& multi Thomiſtæ tenẽt partem negatiuam,ſcilicet,ꝙ nullo modo licet baptizare filios infideliũ quorũcunque, ſiue illi ſint pagani,ſiue Iudæi, ſiue liberi, ſiue ſerui inuitis parentibus. Scot.4. diſt. 4.q.9.tenet contrarium,ſcilicet,ꝙ ſunt baptizandi. Durand.autem libr.& diſt. ead.quæſtio.6.& Caieta.2.2.q. 10. art. 12.tenent viam mediam. Dicit enim hæc opinio eſſe diſtinguendum de infidelibus. Quidam enim ſunt ſui iuris, & non ſerui Chriſtianorum: & talium filij non ſunt baptizandi inuitis parentibus. Alij infideles ſunt ſerui Chriſtianorum, quales ſunt qui iure belli ſunt ſerui,& etiã Iudæi ſecũdum iſtos, & filij eorũ,quia occiderunt regẽ noſtrũ:& horum filij poſſunt & debent inuitis

An pueri ſint baptizandi infideliũ ĩuitis parentibus.

paren-

parentibus baptizari. Hanc opinionem putat Caieta. eſſe Sanct. Th. Pro huius quæſtionis ſolutione notandum, quòd per parentes in propoſito, non intelligimus ſolos genitores, ſed etiam eos in quorum cuſtodia, & cura ſunt filij. Vnde ſi puer infidelis iuſto titulo, vel etiam iniuſto (vt benedicit Capreol). venerit ad terras Chriſtianorum, cùm iam nō poſsit eſſe ſub cura genitorum, ſed ſub cura dominorum Chriſtianorum, eſſet baptizandus. Nam ſi tales nō liceret baptizare, cùm proprij parentes non poſsint eorum curam gerere, eſſent pueri extra ſtatū ſalutis. S. Tho. igitur determinatè, & abſolutè reſpon. quòd tales non ſunt baptizandi inuitis parentibus, & ita tenendum eſt. Et eccleſia tales pueros in terris paganorum ſub cura parentum degentes nunquam conſueuit baptizare. Quanuis eorum parentes malè vtantur dominio quod in ipſos habent. Nos tamen

non ſumus eorum iudices, dicente Paulo, de his qui foris ſunt nihil ad nos. Sicut ergo non poſſum cogere Chriſtianum ad audiendam miſſam die Dominica, licèt habeat pręceptum audiendi eam: quia ego non ſum executor huius legis. Et cap. Iudæi. 28. quęſt. 1. & capit. ex literis. de conuerſione infidelium. habetur, quòd ſi alter infidelium fiat chriſtianus; baptizentur eius filij pueri: ergo ſi nullus parentum conuertatur, non debent baptizari.

De Miniſtro.

28 Mali miniſtri an conferãt vera ſacramẽta.

QVAERITVR, vtrùm mali miniſtri cõferant verũ baptiſmum, & alia ſacramenta? Reſpondetur ſecundùm omnes doctores quòd ſic, & oppoſita aſſertio eſt hæreſis, vt diffinitur in Concilio Tridenti. ſeſsio. 7. de ſacramentis in genere. Cano. 12. cuius verba ſunt. Si quis dixerit

rit miniſtrum in peccato mortali exi-
ſtentē, modò omnia eſſentialia quæ ad
ſacramentum conficiendum aut con-
ferendū pertinent, ſeruauerit, non con-
ficere, aut conferre ſacramentum, ana-
thema ſit. Et hoc idem eſt determina-
tum ab eccleſia in cap. Roma. de conſe
cra. d. 4. vbi dicitur. Romanus Pōtifex
nō attēdit hominem, qui baptizat, ſed
ſpiritū Dei ſub miniſtrare gratiā baptiſ
mi, licet paganus ſit qui baptizat. &. 1.
quæſt. 1. cap. ſi iuſtus fuerit. Non eſt de
hoc dubium apud fideles, & oppoſitū
dicere eſt error Vuicleſiſta. Sed de hæ-
reticis miniſtris fuit olim altercatū in
ter doctores, an conferrent vera ſacra-
menta? Vnde Cyprianus cum epiſco-
pis prouinciæ Africæ, & aliarum dua-
rum, Carthaginem conuenerunt, vbi
Cyprianus determinauit, quòd ab hæ-
reticis baptizati eſſent rebaptizandi,
& perſeuerauit in ea opinione, vt pa-
tet, cap. ſi quis inquit. 1. q. 1. & capi. quo
modo

modo ex audiet. de conſecr. d. 4. Augu. autem lib. vno de baptiſmo, dicit ꝙ ſiquid erroris ibi Cyprianus tenuit, falce paſsionis eſt remotum. Et de baptiſmo cõtra Donatiſtas. li. 6. &. 5. c. 23. & in multis alijs locis, dicit ꝙ concilium vniuerſale totius eccleſiæ, poſt illud Carthaginenſe celebratum, determinauit, ꝙ hæretici conferebant vera ſacramenta, & ita eccleſia tenet. & in ca. ad abolendum. de hæreticis. dicitur, ꝙ qui aliter de ſacramentis eccleſiæ ſentit & docet, quam eccleſia Romana, hæreticus eſt. Et ſi Ambro. libr. de initiandis rudibus, & habetur. 1. q. 1. c. nõ ſanat. dicat ꝙ baptiſmus perfidi non mundat, ſed polluit: loquitur de baptiſmo Arrianorum, qui ponebant aliam formam. ſ. in nomine filij ſerui. Et eadem veritas diffinitur tanquam de fide tenenda, & oppoſitam aſſertionem eſſe hæreticam in Cõcilio Triden. ſeſſio. 7. de baptiſmo. Cano. 4. cuius verba ſunt.

bà ſunt. Si qs dixerit baptiſmũ, qui etiã datur ab hæreticis in nomine patris, & Filij, & Spiritus ſancti cum intentiõe faciendi quod facit eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, anathema ſit.

29 Miniſtrãs ſacramẽta in peccato mortali, an peccet mortaliter.

QVAERITVR, vtrum miniſter exiſtẽs in peccato mortali peccet mortaliter adminiſtrans ſacramentũ? Reſp. S. Tho. 3. p. quæſt. 64. artic. 6. quòd ſic: quia eſt notabilis irreuerentia diuinorũ contra præceptùm iuris naturalis. Admonet tamen Caietan. hoc eſſe ſanè intelligendum. Nam ad hoc quòd talis actio ſit mortalis requiruntur tria. Primò, ꝙ ſit miniſter, ita ꝙ faciat actum religionis. Ex quo patet cõtra Adrianum ꝙ qui eleuaret hoſtiam iacentem in luto, non peccaret, eſtò eſſet in mortali, quia illa actio non eſt miniſtri inquantum miniſter eſt. Secũdò reqniritur ad hoc ꝙ ſit mortalis, quòd actio illa ſit ſacramentalis. i. quòd procedat à ſacramento. Vnde diaconus in mortali legens

gens euangeliũ peccat mortaliter, quia illa actio procedit à ſacramento ordinis, & terminatur ad euchariſtiam. Tertiò irreuerentia iſta eſt mortalis ex genere. Et cùm ſecretè, & ſine ſolẽnitate in neceſsitate baptizat in mortali, peccat venialiter tantùm, quia facit id in perſona alterius, & non vt ſacerdos.

50 QVAERITVR, an liceat recipere ſacramenta à malis miniſtris, ſcilicet à concubinarijs, &c? Sanct. Tho. 3. part. quæſtione. 64. articulo. 6. in ſolutionibus argumentorum. &. 4. diſtinctione. 5. q. 2. tractat hanc materiã. Reſpondeo, quòd duplex poteſt eſſe miniſter malus, vnus qui toleratur ab eccleſia, quoniam ſcilicet non eſt excommunicatus, nec præſciſus, & à tali, licitum aſt accipere ſacramenta. Non tamen (vt bene notat Caietanus) licet eum inducere ad conferendum ſacramentum, niſi in duobus caſibus. Primò, quando ipſe tenetur conferre ſacra-

Sacramẽta à malis miniſtris recipere an ſit licitũ.

cramentum illud, putà quia eſt curatus, & dominica die poſſum eum inducere ad celebrãdum, licet ſit in mortali: quia ego vtor iure meo, & exigo quod ipſe poteſt bene facere: & ſi malè agit, ipſe viderit. Secundò in articulo neceſsitatis, quando in periculo mortis egeo baptiſmo, poſſunt inducere tunc miniſtrum quantunuis peſsimum ad conferendũ mihi ſacramentum. Alter poteſt eſſe miniſter malus, qui ſit excommunicatus, & præſciſus ab eccleſia, & à tali non licet recipere baptiſmum, ac proinde nec aliud quoduis ſacramentum. Has duas propoſitiones ponit ſanctus Thom. Caieta. Durand. Palud. Adrian. & Scot. qui addit, quod ſi ſim in extrema neceſsitate, & egeo baptiſmo, & ſunt duo qui poſſunt me baptizare, ſcilicet laicus bonus, & ſacerdos iniquus, potiùs debeo inducere ſacerdotem ad me baptizandum, quàm ſecularem: & bene dicit, nam

laïcus

laicus non eſt miniſter ſacramenti baptiſmi niſi in defectu ſacerdotis. Tempore verò neceſsitatis licitum eſt etiam ſuſcipere ſacramentum baptiſmi ab excommunicato, & præſciſo, vt bene dicit ſanctus Thom. & Scotus. nam talis miniſter ſolo iure poſitiuo impeditur ab adminiſtratione ſacramētorum, sed in caſu neceſsitatis eſt pręceptum de iure diuino vt iſte baptizetur, & quòd ille eum baptizet, ergo. Et ita determinatur in. c. ſi quem fortè. &. c. ſubdiaconus. 24. quæſt. Et Auguſti. allegatur ab Adriano in libro de vno baptiſmo, de quodam qui in extremis ab hæreticis eſt baptizatus. Super quo Auguſtinus ait, non ſolùm quod fecit non improbamus, ſed etiam ſecuriſsimè: & veriſsimè laudamus. Poſſunt ergo & tenentur in articulo neceſsitatis ab hæreticis excommunicatis: præſciſiſque ſuſcipere ſacramentum baptiſmi, vt dictū eſt.

31 HOC autē quod diximus non eſt licitum

licitum recipere ſacramenta ab excom municatis, intellige de ſolis illis qui nominatim ſunt excommunicati, vel ob notoriam percuſsionem clerici. Sic enim determinatum eſt in cõcilio Cõſtantienſi, & in concilio Baſilieſi. Cum alijs verò excommunicatis idem iudicium eſt, ſicut de miniſtris peccatoribus: nõ enim tenemur eos vitare, etiam in participatione ſacramentorum, niſi ſicuti malos miniſtros, non inducendo eos ſine neceſsitate ad ſacramenta conferenda.

Ab excõmunicatis, an liceat ſacramenta recipere.

QVAERITVR, an ad baptizandũ puerũ expectãda ſit eius natiuitas ex vtero? Reſp. ſecũdũ omnes doct. ꝙ ſic. & habetur de conſecr. d. 4. c. qui in maternis. Verum eſt ꝙ ſi manu obſtetricis poſſet realiter mitti aqua, & verba dicantur, quòd eſſet verus baptiſmus. Si autem periclitetur puer naſcens, & appareat caput, baptizetur, & erit verus baptiſmus, vt ait S. Thom. 3. p. q. 68. articu. 32

An puer in vtero matris ſit baptizãdus.

11.4. vbi ait, quòd ſi eſſet omnino natus, ſufficeret mitti aquã in caput, ergo, &c. Si autem alia pars appareat, ſcilicet pes, vel manus, dicit S. Tho. Duran. Palu. & eſt communis opinio, ꝙ licet non ſit certum an eſſet verus baptiſmus, baptizandus tamen eſt, & poſtea ſi naſcatur debet ſub conditione iterum baptizari. Palu. cõtẽdit probare quòd certiſſimè erit baptizatus, licet non intingatur aqua niſi pes, vel manus. Sed tamẽ non eſt ita certum, vt ipſe putat. Panormit. & Innocentius in cap debitũ. de baptiſmo. videntur ſentire, quòd quælibet pars ſufficiat ad baptiſmum: & vere eſt in hoc magna apparentia.

33 QVAERITVR, quid faciẽdum eſt de prægnante damnata ad mortem? Reſpond. ꝙ eſt expectandus partus. Patet in lege negat. ff. de ſtatu hominum. & in lege prægnantis. ff. de pœnis. & aliud facere eſſet grande ſacrilegium. Sed quid ſi illa ægrotet ad mortem, an ſit

Mulier prægnãs condemnata ad mortem, vel propinqua an ſit ape

ſit aperienda vt fœtus baptizetur? Re- ſpondeo, quòd tẽporibus noſtris quidã medicus conſuluit, vt fieret ſciſio, ſed peſsimè procul dubio: nam nullo modo licet. non enim ſunt facienda mala vt veniant bona: & non poteſt omnino eſſe certa mors matris & dato ꝙ eſſet certa, aperire eam viuentem eſſet occidere eam, quod eſt immane ſacrilegiũ. Poſteà verò cùm mater moriatur, aperienda eſt, & puer ſi viuus reperiatur baptizandus, vt in lege. poſthumus. ff. de in offic. teſtamen. Solinus dicit de Iulio Cæſare, quòd ſic fuerit ab vtero matris extractus. & idem dicit Palud. Sed hoc non eſt verum de Iulio Cæſare, ſed de alijs Cæſaribus.

[Margin: …rienda vt partus baptizetur.]

QVAERITVR, quo tẽpore ſint pueri baptizandi? Reſpondeo ſecundùm ſanctum Tho. quòd ſtatim. Quia ratione baptiſmi, Deus & angeli habent maiorem curam illorum: non dico ſtatim. i. eadem die. Eſt enim magna 34

[Margin: Pueri an ſint ſtatim baptizãdi.]

abuſio in noſtris tēporibus, quòd ſemper antequam puer ducatur ad eccleſiam eſt baptizatus, ſi timeretur eius mors & eſſet periculum, bene quidē ſin autē, melius eſt vt in eccleſia baptizetur. Si autem adulti ſint baptizandi non debent diu differre baptiſmū propter pericula interim imminentia: debent tamen priùs inſtrui in fide. Tempore etiam interdicti licitum eſt baptizare, vt patet in ca. quoniam. de ſententia excommunicatio. lib. 6.

35 An in baptiſmo, reqratur intentio baptizandi.

QVAERITVR, vtrū ad baptiſmū requiratur intentio baptizātis? Reſpondeo ſecundùm S. Tho. 3. p. qō. 64 arti. 8. & ſecūdū omnes doctores, quòd ſic, & eſt ſecundū fidem ita tenendū, & oppoſita aſſertio eſt hæreſis. vt diffinitur in Concilio Tridenti. ſeſsio. 7. de ſacramentis in genere. Cano. 11. cuius verba ſunt. Siquis dixerit in miniſtris dum ſacramenta conficiunt & conferunt non requiri intentionem, ſaltem faciendi

faciẽdi qđ facit eccleſia, anathema ſit. Idem fuit diffinitũ in concil. Florenti. ſub Eugenio. 4. cuius verba ſunt. Hæc omnia ſacramẽta nouæ legis tribus perficiuntur.ſ.rebus tãquam materia, verbis tãquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi quod facit eccleſia. Quorum trium ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum. Prӕterea eadem veritas patet. Nam quãdo ad vnum concurrũt multa, oportet quòd ſit aliquid per quod ex illis multis fiat vnũ. In baptiſmo autẽ cõcurrũt multa, ſcilicet materia & forma, baptizans, & baptizatus, &c. Ergo oportet cùm ſacramentum ſit vnũ, quòd per aliquid fiat vnum: ſed non videtur quomodo aliter fiat vnũ, niſi per hoc quòd applicãtur iſti per intentionem: ergo intentio requiritur. Item oportet ꝙ baptiſmus ſit actio humana, nam ſi inſanus baptizaret, non eſſet baptiſmus: ſed non poteſt eſſe actio

humana ſine intentione, ergo requiri intẽtio faciendi quod eccleſia intendit Requiritur intẽtio baptizãdi, nec quando baptizat requiritur actualis intẽtio ſufficit enim virtualis. i. quòd priùs volueris baptizare, licèt tũc quãdo baptizat cogitet de impertinentibus. Furioſus vero baptizare non poteſt, quia non habet intẽtionem quæ requiritur, vt dictũ eſt. Si autẽ ſacerdos putet ſe baptizare Petrũ, & baptizat Martinum, quia iã intendit baptizare, verè baptizat, licèt erret in perſona. Imò quanuis erret in ſexu, putans ſe baptizare Franciſcu & baptizat Ioannem contra Hoſtienſ

36 Baptiſmus an poſsit iterari. QVAERITVR, an baptiſmus poſſit iterari? Reſpondeo ſecundũ omnes doctores ꝙ nõ, & ita eſt de fide tenendũ. vt diffinitur in cõcil. Trident. ſeſsio 7. de baptiſmo. Cano. 11. cuius verba ſunt. Siquis dixerit verũ & ritè collatũ baptiſmũ iterandũ eſſe illi qui apud infideles fidẽ Chr̃i negauerit cùm ad pœniten-

nitẽtiã cõuertitur, anathema ſit. S. Th. 3.p.q.66.arti.9.tractat de hoc. Et patet, quia ad Epheſios ſexto dicitur, Vna fides, vnum baptiſma. Et ad Hebræos. 6. Impoſsibile eſt eñ eos qui ſemel ſunt illuminati. &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam. Quidam hæretici hunc locum intelligebant de pœnitentia. Contra quos Auguſtin. lib. de vera & falſa pœnitentia. capit. 3. oſtendit prædictum locum neceſſariò eſſe intelligendum de Baptiſmo. Similiter Damaſ. li.4. ca.1. Nã ſi de pœnitẽtia intelligeretur, eſſet contra illud euangelij. Matt. 18. nõ dico ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Et eſt determinatio eccleſiæ. de cõſecra. d.4. capi. rebaptizare. & ſunt verba Auguſtini ad Maximianũ, Rebaptizare hæreticũ hominẽ omnino peccatum eſt, rebaptizare autem catholicũ, immaniſsimum ſcelus eſt. Habetur etiam. 1.q.1.c. quod quidam. Eſt autem ſecundùm S. Thom. multiplex

huius ratio. Baptiſmus enim eſt quædā natiuitas, & regeneratio: ſed homo in vita corporali nō poteſt ſemel iā natus denuò naſci, ergo nec in vita ſpirituali: item in baptiſmo cōmorimur Christo, vt dicitur Rom. 6. Sed Chriſtus tantū ſemel mortuus eſt, ergo. Item baptiſmus imprimit characterē indelebilem, ergo. Ita quia datus eſt in remediū contra originale peccatū, ſed hoc peccatum ſemel dimiſſum non pōt redire, ergo nec baptiſmus poteſt iterari: ꝙ ſi reiteretur nihil omnino valet ſecūdus baptiſmus. Qui autem. 2. baptizat, manet irregularis. vt patet in cap. ex literarum. de apoſta. Et eſt notandum, ꝙ baptiſmus non debet iterari, nec abſolutè, nec ſub conditione, ſi conſtat ꝙ antea ſit baptizatus: etenim qui baptizaret ſub conditione eum qui iam eſt baptizatus, irregularitatem incurrit, vt patet ex verbis Auguſti. quæ Magiſt. ſentent. adducit 4. diſtinct. 6. dubitans, an qui ludicrè baptizaret,

ptizaret, confert verum baptiſmum. Ait Auguſtinus implorandum eſſe diuinum auxilium gemitibus, & orationibus. Si autem anxiabatur Auguſtinus, quomodo licet rebaptizare etiam ſub conditione? Eſt peſsima abuſio in partibus nr̄is rebaptizare ſub conditione, ſed debet parochus diligenter quærere, an puer ſit baptizatus: & ſi cōpererit quòd ſic, nullo modo debet eum rebaptizare: ſi conſtet oppoſitum, debet eũ baptizare. Si autē ſit verè dubium, determinat eccleſia. capit. 2. de baptiſmo, ꝙ baptizetur ſub cōditione. Me præſente adductus eſt quidam puer ad baptiſmũ, & quibuſdã dicentibus eũ iã eſſe baptizatum, alijs vero hoc ipſum negantibus, admonui clericum, vt quæreret priùs veritatem, qui dixit mihi. O Pater non curetis, expectetis modicũ, & videbitis, quid ego facio. Hæc dicens arripuit puerum, & ait, Alphōſe, ſi tu es baptizatus, ego non te rebaptizo: ſi non es

baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hæc eſt magna abuſio, nec toleranda.

37 QVAERITVR, an baptizato puero ſecretè, debeant repeti ſolennes illæ cæremoniæ, & benedictiones eccleſiæ? Reſp. quòd ſic, vt ait Palude, & eſt cōmunis ſententia. Sed quid ſi credens curatus iam puerū eſſe baptizatū, dixit ſolenniter omnia illa quæ concomitantur baptiſmum ſine immerſione tamē: an poſtea ſciens illū non fuiſſe baptizatum, debeat baptizare ſine ſolennitatibus prædictis? Reſpō. ꝙ non, ſed debet de nouo ſolenniter baptizare, quia ſolēnitates non ſunt de eſſentia baptiſmi. De ritu Baptiſmi, an ſit cōueniens? conſule S. Tho. 3. p. q. 66. art. 10. & de catechiſmo, exorciſmoq́;. 3. p. q. 71. Quanti autem habendi ſint ritus ſacramentorum qui per eccleſiam ſunt recepti & approbati, vide & pondera in diffinitione celeberrima concilij Tridentini

Baptizatus ſecretò debet publicè bn̄dici.

ni, Seſsione. 7. de Sacramentis in genere. Cano. 13. cuius verba ſunt. Si quis dixerit receptos & approbatos eccleſiæ chatolicæ ritus in ſolēni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quencunq; eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.

QVAERITVR, an in catechiſmo puerorum, quando reſpondent pro eis, abrenuntio, ſit ibi noua obligatio pueri, an ſic maneat puer obligatus, ſicut ſi feciſſet votū. Reſpō. ꝙ Durandus videtur dicere quòd ſic. Palud. tamen bene dicit, quod ibi nulla eſt obligatio, etiā ſi qui baptizatur ſit adultus. Non enim intendit eccleſia obligare eos de nouo, ſed vt acceptent ea ad quæ tenentur Chriſtiani. Notandū etiam ꝙ in catechiſmo contrahitur quædā cognatio ſpiritualis inter ſuſceptorem, & ſuſceptum: 38

An abrenūtiatio baptizati ſit votum.

ptum: inter patrinũ vero filioſque eius & baptizatum cõtrahitur affinitas ſpiritualis. Si autem non baptizetur, ſed fiant ſolennitates tantum, contrahitur etiã affinitas, ſed imperfecta: nam prima dirimit matrimonium, non tamen 2. vt habetur de cognatione ſpirituali capit. 5.

39 Materia & forma baptiſmi debent ſimul concurrere.

An in ſacramento baptiſmi, oporteat ſimul concurrere materiam & formam baptiſmi? Reſpond. ſecundùm omnes quod ſic. Patet ex Auguſtino, & habetur cap. detrahe. 1. q. 1. accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Iſta autem ſimultas ſecundũ Scotum intelligitur modo humano: quia euangeliſtæ loquuntur hominibus, ac proinde ſatis eſt, quòd materia & forma ſint ſimul, eo modo, quo aliqua dicũtur eſſe ſimul apud homines. Non credo tñ quòd requiratur quòd antequam immerſio aquæ finiatur, incipiãtur verba, ſed ſufficit quòd poſtquam

di

dixit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, mittatur aqua. Nec de hoc dubito, iã enim iſte eſt baptizatus in nomine patris, & filij, &c. ſicuti in euangelio præceptum eſt. Et hæc de baptiſmo.

Sequitur de ſacramẽto confirmationis.

De Sacramento Confirmationis tractat Magiſter ſenten. 4. d. 7. & S. Tho. 3. par. quæſt. 72. &c.

QVAERITVR ante omnia, an Confirmatio ſit à Chriſto inſtituta? Ad hoc dicunt quidam, quod confirmatio non fuit inſtituta à Chriſto, nec ab apoſtolis, ſed ab eccleſia. Hoc tenet Alexander de Ales 4. par. q. 23. membro. 1. & S. Bonauen- 40

Cõfirmatio eſt à Chriſto inſtituta.

tura.4.d.7.& Alexander ait, quòd confirmatio fuit instituta in concilio Meldensi. Oppositum tenet omnis schola theologorum. Opinio tamen Alexandri non est hæretica, quia non negat confirmationem esse sacramētum, sed dicit ꝙ Christus habens potestatē condendi sacramenta, cōmunicauit illam ecclesiæ. Sed nos dicimus confirmationem institutā esse à Christo, nam apostoli confirmabant, vt patet Actuum 8.&.19. Et confirmati recipiebant spiritum sanctum etiam visibiliter: & non legimus quòd ipsi apostoli hoc instituerunt, ergo. Et quòd fuerit ante concilium Meldense, patet, de consecratione. d. 5. vbi Melchiades, Vrbanus, & Fabianus, antiquissimi pontifices loquuntur de confirmatione. sicut de re in ecclesia consueta. Et S. Clem. qui Petro successit in episto. 3. ad vniuersos, & Cyprianus in Concilio Carthaginē. & Hierony. aduersus Luciferian. Cùm

autem

autem ſacramenta ſint inſtrumenta no ſtræ redemptionis, quam Chriſtus operatus eſt vſque ad reſurrectionẽ, oportet dicere omnia ſacramenta inſtituta fuiſſe ante reſurrectionem Chriſti. Inſtituit ergo Chriſtus hoc ſacramẽtum. Ioan. 16. quãdo promiſit apoſtolis Spiritum ſanctum quo confirmarentur virtute ex alto. Illa enim miſsio Spiritus ſancti in Pentecoſte, vel fuit ſacramentũ confirmationis, vel habuit locũ eius.

Quòd autem cõfirmatio ſit ſacramẽtum verè & propriè, & ꝙ ſit à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutum, eſt ab omnibus fidelibus tanquàm de fide firmiter tenendum, vt iam ſuperiùs diffinitum eſt, cùm de ſacramentis in communi ageremus. quæſtio. 4. &. 5. Item hoc idem probatur ex eodem Concilio Tridentino. Seſsione. 7. de confirmatione. Cano. 1. Cuius verba ſunt. Si quis dixerit confirmationem baptizatorum ocioſam cæremoniam eſſe, & non

non potiùs verum & proprium ſacra-
mentum , aut olim nihil aliud fuiſſe
quàm catecheſim quandam , qua a-
doleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationē
coram eccleſia exponebant, Anathe-
ma ſit.

41 QVAERITVR, quæ ſit materia huius ſacramēti? neceſſario eñ eſt danda in eo aliqua materia vt patet ex ritu eccleſ. & auctoritatibus ſanctorum, & quia omnia alia ſacramēta conſtant ex materia & forma: ergo etiam hoc. Et oppoſitum dicere eſſet temerarium, nam in forma huius ſacramenti ſignatur materia, dicitur enim, Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis. Reſpond. ꝙ materia huius ſacramenti eſt chriſma. Vt patet ex diffinitione concilij Florenti. ſub Eugenio. 4. vbi ſic dicitur. Sacramenti confirmationis materia eſt chriſma confectum ex oleo & balſamo per epiſcopum benedicto. Hoc vocabulū chriſma eſt Græcum,

Materia cōfirmationis eſt chriſma.

cum, & accepit ecclesia illud ex Dionysio. capit. 4. de ecclesiastica hierarchia, & significat vnguentum compositum ex oleo & balsamo. vt patet in. ca. vno. de sacra vnctione. Balsamum autem necessarium est in materia cõfirmationis necessitate præcepti, vt patet ex capit. vno. & cap. nouissimè. de cõsecra. distinct. 5. & cap. 1. de sacramentis non iterandis, & ex ritu ecclesiæ. Non est autem necessarium necessitate sacramenti: nam balsamum est in sola Syria terra Paganorum & difficulter potest inueniri, & non videtur quòd materiam tam arduam voluerit Deus esse materiam sacramenti: non est ergo necessarium de essentia sacramenti, sicut nec aqua in consecratione sanguinis. Hoc tenet Caieta. 3. p. q. 72. arti. 2. hoc etiam probatur ex capi. 1. pastoralis. de sacramentis non iterãdis. vbi hebetur, quòd quidam per errorẽ fuit confirmatus oleo benedicto sine balsamo, &

Balsamũ nõ est de necessitate sacramenti cõfirmationis.

quæſitum eſt, an eſſet iterandum ſacramentum: & reſponſum eſt, nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplēdum quod incautè fuerat omiſſum. Si illud fuit ſacramentum, ergo chriſma non eſt de neceſsitate ſacramenti: ſi autem non debuit iterari, ergo certè fuit ſacramentū, licèt poſteà propter præceptum chriſmate vngeretur. Credo ergo ꝓbabiliſſimè quòd chriſma non eſt de eſſentia ſacramenti confirmationis: aliàs enim raro eſſet ſacramentum, nā etiam puto negotiatores decipere nos, vendentes nō balſamum pro balſamo.

42 Chriſma in confirmatione debet eſſe conſecratum.

QVAERITVR, an ſit neceſſarium, quòd chriſma ſit conſecratum? Reſpon. quòd ſic. Ita tenet Scotus, Durand. Palud. Marſi. Sylueſt. Florenti. & omnes, & videtur idē ſentire ſanctus Thom. 3. p. q. 72. articul. 3. vnde ſi chriſmate non conſecrato per errorem quis confirmaretur, non eſſet confirmatus: nam Chriſtus hoc inſtituit, quod patet ex

ex ritu ecclesiæ, & autoritate antiquorum doctorum. Cyprian. in opusculo de vnctione chrismatis & Dionysius, capit.4. de ecclesiasti. hierarch. Ratio huius asignatur à S. Tho. Ricard. Alexand. & Bonauen. Quia cũ sacramentũ sanctificet actione, oportet vt in se sit sanctum: & propterea congruum fuit vt ipsa materia habeat in se sanctificationem. Sed est differentia inter materias sacramentorum, nam aliquas sanctificauit Christus immediatè, vt sunt materiæ illorum sacramentorũ, quibus Christus est vsus, scilicet, baptismi, & eucharistiæ. Aliorũ verò sacramentorum quibus Christus non est vsus, materias nõ sanctificauit, vt materiam confirmationis, &c. Et ideò necesse est, ꝙ tales materiæ cõsecrẽtur. Et licèt Christus receperit vnctionem à Magdalena, & in sepulchro, illud fuit modo humano, non sacramentali vel spirituali, vel ad aliquem effectũ spirituale: sicut sanctifica-

uit aquas in baptiſmo, non tamē quādo bibebat, nec panē quando comedebat.
43 Chriſma debet ab epiſcopo conſecrari. ¶Sed vtrum debeat ab epiſcopo chriſma conſecrari? Videtur ꝙ ſic, vt patet in prædicto ca. vno. de ſacra vnctione. & cōſecratur in die cœnæ, & quolibet anno renouatur. Vtrum autē papa poſſit cōmunicare cōſecrationem ſimplici ſacerdoti? Credo probabilitèr, ꝙ ſic, & tunc nō eſſet de eſſentia ſacramenti quòd confirmatio fieret cū chriſmate ab epiſcopo conſecrato, vt notum eſt.

44 Forma ſacramenti cōfirmationis. QVAERITVR, quæ ſit forma ſacramonti confirmationis? Reſp. ꝙ hęc, Cōſigno te ſigno crucis, & cōfirmo te chriſmate ſalutis. Hoc tenent oēs doctor. nullo excepto. Et ita habet ritus eccleſiæ, & auctoritates ſanctroū. Et ſi apoſtoli non vtebantur hac forma, vt patet Actuum. 8. hoc ideo fuit ſecundum S. Tho. & omnes, quia oleum ponitur in confirmatione pro ſigno viſibili: ſed tunc miraculoſè fiebant ſigna

viſi-

visibilia,& ideo non vngebant confirmatos. Item propter irrisiones in fidelium vitãdas, esset enim ridiculũ apud infideles, si vngerentur confirmati, & ideo solùm confirmabant per manuum impositionem. Cessantibus autem illis signis visibilibus miraculose factis, vsi sunt materia & forma prædictis.

IMPRIMIT autem confirmatio characterem, vt patet ex concilio Florenti. sub Eugenio. 4. cuius verba sunt. Inter hæc septẽ ecclesiæ sacramenta tria sunt (scilicet, Baptismus, Confirmatio, & Ordo) quæ characterẽ, id est spirituale quoddã signum à cæteris distinctiuum, imprimunt in animam indelebile. Vnde in eadem persona nullum horum trium sacramentum reiteratur. Idem patet ex concilio Tridentino sessione. 7. de sacramentis in genere. Cano. 9. vbi sic dicitur. Si quis dixerit in tribus Sacramentis baptis- 45 In confirmatione imprimitur character.

mo,ſcilicet, confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile: vnde ea iterari non poſſunt anathema ſit. Qui autem bis confirmaret eundem, peccaret quidem, ſed tamen non eſſet irregularis, quicquid dicant canoniſtæ. Quia nullus textus in iure ponit hanc pœnam. Et patet ex capit.dicto de conſecratione.d.5.vbi fit mētio de iteratione confirmationis, & non ponitur pœna irregularitatis, licet prohibeatur iteratio. Sed quare poſita eſt pœna irregularitatis iterantibus baptiſmum, & non iterantibus confirmationem? Reſpon. quia antiquitus fuit contentio & hæreſis de iteratione baptiſmi, non autem de confirmationis repetitione. Et ideo hoc ſecundum noluit eccleſia ita ſtrictè prohibere, & punire, ſicut primum.

46 QVAERITVR, vtrũ quis poſſit

confirmari antequàm ſit baptizatus? Reſpon. q̄ non, & ſi fiat nihil factũ eſt: vt habetur in cap. ſi quis. de presbytero non baptizato. vbi præcipitur, q̄ de nouo baptizetur, & iterum ordinetur. Et eadẽ eſt ratio de confirmato, & non baptizato. Et ca. veniẽs. de presbytero nõ baptizato. dicitur, quod baptiſmus eſt fundamentũ omniũ ſacramẽtorum. Si autẽ quis ordinaretur ante confirmationem, male faceret, ſed tñ factũ teneret.

Confirmari nemo poteſt ante baptiſmum.

47 In confirmatione cõfertur gratia.

QVAERITVR, an confirmatio conferat gratiam? Reſpond. quòd ſic. Et ita tenendum eſt tanquàm de fide quia eſt ſacramentum. Item quia ſic expreſsè diffinitum eſt in concilijs, vt habes ſuperius. qõ. 6. cũ de ſacramentis in communi ageremus. Item patet ex cõcilio Tridẽ. ſeſsione. 7. de confirmatione, Cano. 2. cuius iſta ſunt verba. Si quis dixerit iniurios eſſe Spiritui ſancto eos qui ſacro confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, ana-

thema sit. Imò confert maiorẽ gratiã quàm baptismus. Quia iam in confirmatione fit miles, & roboratur ad defendendam fidem quam in baptismo recepit. Et ita dicit Palude & omnes. Et de consecratio. distinctione. 5. cap. de his. dicitur, quòd cõfirmatio est dignius sacramentum quàm baptismus, & maiore veneratione dignum.

48 an omnes tenentur cõfirmari. QVAERITVR, an omnes debeant confirmari? Respond. secundum docto. omnes ꝙ sic. Et patet de conse. distinct. 5. capitu. omnes fideles. & capitul. vt ieiuni. vni dicitur, nũquam erit Christianus nisi confirmatione episcopali fuerit chrismatus. Sed vtrum sit de necessitate salutis hoc sacramentum? Respond. quòd stando in iure diuino non est præceptũ, nec inuenitur in euãgelio locus obligatorius, sicut inuenitur de baptismo, pœnitentia, & eucharistia: verum est ꝙ cõtemptus eius est peccatum mortale: contemneret verò

qui

qui nollet illud recipere, quia non vult obedire: & putat nullius meriti esse, & valoris. Hoc esset mortale secũdum omnes. & S. Tho. 3. p. q. 72. ar. 8. dimittere autem illud ex negligentia non esset mortale contra ius diuinum, qualiscunque negligentia sit etiam crassa. Stando autẽ in iure humano, Adria. & S. Tho. tenent quòd nõ est præceptum, & ego ita credo, licèt oppositum teneãt penè omnes, Scotus. Paul. Maio. &c.

QVAERITVR, qua ætate dandum est hoc sacramẽtum? Resp. ꝙ Marsilius, & quidem alij dicunt, quòd expectanda est ætas. 12. annorum, sed credo ex S. Thom. nõ esse necessarium expectare vsum rationis. Idem ait Gabriel & Antonius, & Syluest. verum est ꝙ beatus Antonius dicit bonum esse expectare septennium pueri, propter periculum reconfirmationis, vt scilicet cõfirmatus meminerit se esse cõfirmatũ. 49

Qua ætate confirmatio est suscipienda.

QVAERITVR, an solus episco- 50

An solus episcop' posit cõ firmare.

pus posit hoc sacramentum conferre? Quærit hoc S. Tho. 3.p.q.72.ar.11.Respon. quòd licèt de hoc sint variæ opiniones, dicendũ tamen est cum S. Tho. Alexand. & Palud. 4.d.7.q. 4. & Marsi. 4.q.5 quòd propria autoritate non potest simplex sacerdos confirmare, & si tentet, nihil faciet. Nihilominus ex cõmissione Papæ quilibet sacerdos posset confirmare. Hoc patet autoritate ecclesiæ ex facto Gregorij, vt habetur 95.d.capit. peruenit (ait Gregorius) ad nos quosdam scãdalizatos fuisse, quod presbyteros prohibuimus confirmare. Et post dicit ad Ianuarium. Et si de hac re aliqui contristantur, vbi episcopi desint, concedimus quòd presbyteri signent in fronte baptizatum. Et in Concilio Florenti. sub Eugen. 4. in extrauagant. de vnione Armeno. instruendo Armenos, numerantur septem sacramenta, & secundum est confirmatio, cuius ordinarius minister est episco-

episcopus. Item idem diffinitum est in Concilio Tridenti. sessione. 7. Cano. 3. cuius hæc sunt verba. Si quis dixerit sanctæ confirmationis ordinarium ministrum nō esse solum episcopum, sed quenuis simplicem sacerdotem, Anathema sit. Nihilominus ex dispensatione sedis apostolicæ, & rationabili causa simplex sacerdos potest hoc sacramentum ministrare.

CIRCA ritum huius sacramenti, uide celeberrimam diffinitionem concilij Tridenti. de sacramentis in genere. Sessio. 7. Cano. 13. supra quæsti. 36. vbi de baptismi ritibus agebatur. Et est notandum, ꝙ susceptores confirmandi, seu patrini debent esse confirmati. vt patet de consecr. d. 4. c. in baptismate. Et si patrinus non confirmatus teneat, non oritur inde cognatio spiritualis, quæ aliàs oriretur: quia non est verus susceptor. Quilibet autem confirmatus potest esse patrinus, nisi vir vxo- 51 De ritu cōfirmationis & susceptore confir mati patrino.

ris, &

ris, & vxor viri. Si vir tamen tene vxorem, inde oritur affinitas: & si scie ter fecerit; non potest petere debitum tenetur tamen reddere. Et contrah tur in hoc sacramento tanta affinita quanta in baptismo. Et non possunt e se susceptores plures, sed vnus, & d bet esse alius quàm in baptismo. Quò autem fiat signatio in fronte non vide tur esse de essentia huius sacrament Quia in euangelio non legimus, ni quòd imponebant manos super illo Quòd autem fiat per modũ crucis, pa tet esse necessarium, quia in forma di citur, cõsigno te signo crucis. Oleũ eti necessarium est, & ritus ecclesiæ tene quòd confirmatus nõ lauet oleũ per. 7 dies: sed hoc nõ est de essentia. Et hæ de sacramento Confirmationis.

Sequitur Sacramen tum Eucharistiæ.

De

De Sacramento Euchariſtiæ tractat Magiſt.ſenten. 4.diſtinct.8. & Sanct.Thom.3.part.quæſt.73. Et ante omnia.

QVAERITVR, an Euchari ſtia ſit ſacramentum? Reſpō. ab omnibus Chriſtianis, quòd ſic, & maximum omnium ſacramentorum. Ita determinatur in multis concilijs, & ideo hoc firmiter de fide tenendum, vt habes ſuperius de ſacramentis in genere. quæſt. 5. item idem habetur in Concil. Tridenti. ſeſsio. 13. capit. 2. Et eccleſia cantat, Tantum ergo ſacramentum, &c. Sed quid eſt illud quod vocamus ſacramentum, an ſit actio ipſa putà conſecratio, vel ſumptio euchariſtiæ, vel aliquid aliud? Reſpon. ex San. Thom. 3. part. quæſt. 73. articu. 1. ad. 3. &. 78. articul. 1. ad. 2. quòd nec conſecratio, nec ſumptio euchariſtiæ, eſt

52 Euchariſtia eſt ſacramentum.

ſacra-

sacramentum nec pars sacramenti: se[d]
sacramentum eucharistiæ perfectum
est id quod remanet post consecratio-
nem. Sicut enim collatio baptismi non
est sacramentum baptismi, ita nec con
secratio eucharistiæ est sacramentum
nec ipsa sumptio: sed species ipsæ, [&]
corpus Christi sunt sacramentum: [v]
patet in capitu. penult. 1. quæstione. [1]
vbi dicitur. Sunt autem sacramen
ta baptisma, chrisma, corpus Chri
sti & sanguis: ecce apertè dictum. E[t]
licèt sub diuersis speciebus continea
tur corpus Christi, est tamen vnicum
sacramentum, non vnitate natural[i]
cùm species sacramentales differant
specie: sed vnitate finis, quia omni[a]
quæ in eo sunt ordinantur ad vnum fi
nem, scilicet, vel ad continendum Chri
stum, vel ad faciendam vnitatem cor
poris mystici.

53 Euchari- stia an sit QVAERITVR, vtrum sacramen-
tum eucharistiæ sit de necessitate salu-
tis

tis? Reſpō. ꝙ eſt præceptum de euchari ſtia, vt patet Ioan. 6. Niſi manducaueri tis carnem filij hominis. Eſt etiã ſacramētum hoc de neceſsitate præcepti eccleſiæ, vt diffinitũ eſt in. c. omnis vtriuſque ſexus: de pœnitētijs. & remiſsionibus, & longè efficacius idē eſt diffinitũ in Cōcil. Tridē. ſeſsio. 13. Can. 9. cuius verba ſunt. Si quis negauerit oēs & ſingulos Chriſti fideles vtriuſq; ſexus, cũ ad annos diſcretionis peruenerint tene ri ſingulis annis ſaltem in paſchate ad cōmunicandũ iuxta præceptum ſanctæ matris eccleſiæ, anathema ſit. Secundo dico, ꝙ hoc ſacramentũ nō eſt ita de neceſsitate ſalutis, ſicut baptiſmus. Nā nemo poteſt ſaluari ſine baptiſmo realiter, vel in voto ſuſcepto: & tamen ſine Euchariſtia poſſunt ſaluari multi, vt de facto ſaluantur pueri baptizati, ac proinde non eſt ita de neceſsitate ſalutis, ſicut baptiſmus. Euchariſtia autem interpretatur bona gratia, vt patet

de neceſſitate ſalutis.

1.quæſt.1.cap.multi. Ab alijs interpre
tatur,gratiarum actio ſynaxis, comm
54 nio,& ſacrificium.

Figura euchariſtiæ. HVIVS autem ſacramenti potiſ
ma figura ſecundum Sanct.Thom. fu
agnus paſcalis : Lutherus tamen irri
det figuras huius ſacramenti, & offici
Sanct.Thom.de corpore Chriſti, dic
compoſitum à ſummo Chriſti hoſte
eò quòd adducit figuras, & miratu
quare ibi non adduxerit figuram aſin
Balaã: ſed dimittamus pernicioſiſsim
hominem. Circa hoc multa bona dic
Gabriel in Canone.lect.55. vbi peten
quare in Canone fit mentio de ſacrifi
cio Abrahæ, Abel, Melchiſe. & non d
agno. Reſpond. hoc ideo eſſe factum
quia in illis tribus ſacrificijs allegatu
ſanctitas ſacrificantiũ, quæ ſemper pl
cuit Deo: eſus autem agni paſchalis n
ſemper fuit acceptus Deo.

55 Materia euchari- QVAERITVR, quæ ſit mater
huius ſacramenti? Reſpõ. ꝙ panis & v
nun

num. Ita determinatũ eſt ab eccleſia, ca pit. firmiter. de ſumma Trinita. & fide catholi. Et in concilio Carthaginenſi, Et habetur de cõſecra. d. 2. cap. in ſacramẽtis. & ca. p. cũ omne. & ca. cum Marthæ. de celebratione miſſarum. Et patet, nam Chriſtus hac materia eſt vſus: accepit (ait euãgeliſta) panẽ, &c. ſimiliter & calicem, & nõ bibam amodò de hoc genimine vitis. Ex quo patet ꝙ in calice continebatur vinum. Panis verò debet eſſe triticeus, ita ꝙ in alia materia non poteſt confici: vt ait Sanctus Thomas. tertia parte. quæſtione. 74. articul. 3. Idem tenet Alexand. de Ales 4. parte quæſtione. 32. & Durand. 4. diſtinct. 10. quæſtione. 4. & Scotus. diſtin. 11. quæſt. 6. Idem habetur in concilio Florenti. ſub Eugen. 4. cuius verba ſunt. Sacramenti Euchariſtiæ materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modicißima miſceri debet. Vnde omnis

ſtiæ panis triticeus.

panis qui in cõi modo loquendi voca-
tur panis, & est ordinatus ad alimẽtum
hominum, est sufficiens materia con-
secrationis. Ex quo sequitur, ꝙ panis
hordeaceus non est materia cõsecratio-
nis nec potest in eo cõfici hoc sacramẽ-
tum: quia nõ est panis nec hordeum est
alimẽtũ hominũ, sed bestiarum. Panis
autẽ siliginis (de centeno) quia verè est
panis, & ad alimẽtũ hominũ ordinatus
potest consecrari. Idẽ dicendũ de farre
& spelta, si ex eis cõficeret̃ verus panis.
De farre dicit Palud. ꝙ. sufficit. De spel-
ta dicit Antonius, ꝙ sufficit: sed quia
hoc non est certum, credo esset teme-
rarium consecrare in alio quã triticeo
pane De mayz apud Indos, dubiũ est
an esset sufficiens materia, & ideò non
est cõsecrãdum in eo. In pasta autem
ex tritico (en la massa) non potest fieri
consecratio quia non est panis, sed ex
ea fit panis: & habet alias proprietates
quàm panis: hic enim nutrit, illa vero
inter

interficit.in agmidone etiã.S. Tho. tenet ꝙ nõ poteſt fieri conſecratio, & ita ego credo,alij tamen dubitant. Et Palu.4.d.4.& d. 11. q. 1.artic.4.dicit ꝙ poteſt in eo fieri conſecratio:ſed hoc nullo modo eſt tenendum.

QVAERITVR,an panis conſecrationis debeat eſſe azimus, id eſt ſine fermẽto? Reſpon.S.Tho.3.p. q. 74. art.4.ꝙ nõ eſt de eſſentia ſacramenti,ꝙ panis ſit azymus:ſed poteſt confici etiá in fermẽtato,quia eſt verus panis. Conueniẽs tñ̃ eſt ꝙ quilibet cõſecret ſecundũ ritũ ſuæ eccleſiæ.In eccleſia aũt circa hoc nõ eſt vnus ritus ſolus,nam Gręci conficiunt in fermẽtato: vt dicit Grego.in regiſtro.Sed conſuetudo Latinorũ conſecrãdi in azymo cõueniẽtior eſt quã cõſuetudo Græcorũ. Nã Chriſtus celebrauit in azymo, vt patet Matth. 26.Prima autẽ die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere paſcha? Et Lu- 56

Panis azym⁹ materia euchariſtiæ

cæ. 22. venit autẽ dies azymorũ in q
neceſſe erat occidi paſcha. Græci ve
propter deteſtationẽ Nazareorum, q
putabant legalia ſimul eſſe obſeruan
cum euangelio: quia in lege Iudæoru
comedebantur panes azymi, ipſi ele
runt non conſecrare in azymo. Et e
vt expreſsiùs ſignificarent Chriſtu
ex carne & diuinitate factum. Vnde i
hoc non ſunt hæretici, nec peccant co
ſecrantes in fermentato.

57 An requiratur certa quantitas.

QVAERITVR, vtrùm requi
tur certa, & determinata quantitas p
nis ad conſecrandum, vel an poſſet ſ
cerdos cõſecrare tantum panis, quan
ſibi placuerit? S. Tho. 3. p. q. 74. artic.
tenet quòd nulla eſt quantitas panis a
vini tã magna ad cõſecrãdum, quæ n
poſsit eſſe materia huius ſacramenti
cut in rebus habentibus materiam, e
parte finis determinatur quantitas m
teriæ, vt in domo: & in fabricatione
uis, ex parte intentionis determinat
quan

quantitas. Ita etiã tenet Scot. Dur. Gab. & oẽs, & idẽ dicendũ eſt de paruitate.

QVAERITVR tñ, an oporteat materiam eſſe præſentẽ? Reſp. ab omnibus ꝙ ſic. Patet ex facto Chri, qui cõſecrauit materiã præſentẽ, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, ſimiliter & calicẽ. Itẽ patet: quia intentio miniſtri non poteſt diſtinctè dirigi, niſi ſuper rem pręſentẽ, cũ omnis noſtra cognitio ortũ habeat à ſenſu: ſed ad cõſecrandum requiritur intentio miniſtri, ergo & præſentia materiæ. Item probatur efficaciùs ex ritu eccleſiæ, quæ nunquã materiã abſentem, &c. nec vnquã viſum eſt, ꝙ aliquis ſacerdos bonus aut malus tentauerit cõtrariũ facere: oportet igitur materiam eſſe præſentem, & apud ſacerdotẽ. Cùm enim ſacramẽtũ ſit inſtitutũ propter homines, illa præſentia requiritur in materia ſacramenti, quã cõmuniter homines vocant præſentiam: & cùm res quæ eſt poſt parie- 58

An oporteat materiã Euchariſtiæ eſſe præſentem.

tem non dicatur apud nos præsens, ne etiam quæ est retro nos videtur quò non possit consecrari.

59 Vinũ vitis, est materia euchari-stiæ. QVAERITVR, vtrùm vinũ vitis sit materia huius sacramenti? Rñdetur, ꝙ sic. Quia in vino vitis consecrauit Christus, vt patet Matthæi. 26. non bibam de hoc genimine vitis. Et habetur. cap. didicimus. & capit. cum omne de conse. d. 2. & in alijs multis locis.

In aceto non potest consecrari. VTRVM autem possit consecrari in aceto? Respondetur oĩno ꝙ non. Et non dubium de hoc, quia non est vinũ, sed corruptio vini. Licèt gl. in ca. sicut (el primero) de consecratione. d. 2 dicat contrarium: sed misit falcem in messem alienã, & turpiter errauit, nisi intelligatur de vino aliquantulùm corrupto) hoc est, que tiene vna punta de vinagre) in tali enim consecrari potest: quia est vinum verum. Sed vtrùm

Mustum in vuis non põt consecrari. posset consecrari in vino contento in racemis, in musto? Rñdetur, ꝙ non debet

bet fieri: prohibitũ eñ eſt in capit. cùm omne de conſecra. d. 2. Secundò dico, quòd nec poſſet fieri conſecratio in tali vino: quia ſicut paſta non eſt panis, ſed ex ea fit panis, ita nec ſuccus ille intra vuas contentus eſt vinum, ſed ex eo fit vinum, & ideo non poteſt eſſe materia conſecrationis.

QVAERITVR, vtrũ aqua ſit miſcenda cũ vino? Reſp. ꝙ ſic. Et habetur cap. in ſacramẽto. de cõſec. d. 2. & ibidẽ cap. ſcriptura. & cap. cũ Marthæ. de celebratione miſſarum. & in multis alijs cap. Eſt autẽ neceſſaria aqua neceſsitate præcepti, non tamen neceſsitate ſacramenti, vt tenent omnes theologi. 60

Aqua miſcẽda eſt vino in calice.

DVBITATVR, an in euchariſtia maneat ſubſtantia panis & vini? Ad hoc S. Thom. 3. p. q. 75. artic. 2. & omnes doctores dicunt ꝙ non, & hoc de fide tenendum eſt. Et fuit determinatum in concilio Conſtantien. ſeſ. 8. vbi condemnatus fuit Vuicleff. qui oppo- 61

In euchariſtia nõ manet ſubſtãtia panis & vini.

situm tenebat. Et in concilio Latera
nensi in capi.firmiter. de summa Tri
tate & fide chatolica.Item in concil
Tridenti.Sessio.13.Cano.2.cuius ve
ba sunt. Si quis dixerit in sacrosancti
Eucharistiæ sacramento remanere su
stantiam panis & vini cum corpore
sanguine Domini nostri Iesu Christ
negaueritq; mirabilem illam & sing
larem conuersionem totius substanti
pannis in corpus, & totius substantię
ni in sanguinem, manentibus duntax
speciebus panis & vini. Quam quidem
conuersionem catholica ecclesia ap
tissimè transsubstantiationem appe
lat, anathema sit. Desinit autem p
consecrationem esse ibi panis mate
ria & forma, manentibus accident
bus, & incipit ibi esse corpus Chri
loco panis. Non tamen dicitur pan
annihilari, licèt nihil ipsius manea
quia omnis motus accipit nomen à te
mino ad quem, sicut vocamus calefa
ctionem

ctionem quando ex aqua frigida fit calida, quia illa actio terminatur ad calorem. Cùm igitur conuerſio iſta non habeat pro termino deſitionem panis, ſed præſentiam corporis Chriſti ſub his ſpeciebus, ideo non eſt dicenda annihilatio panis, ſed conuerſio: licèt deſinat eſſet materia & forma panis ſecundùm ſe & quodlibet ſui. Diſputatio videtur de nomine, ſed hoc modo dicitur conuenientiùs.

VTRVM omnia accidentia panis & vini maneant in hoc ſacramento? Sanctus Thomas. 3. parte. quæſtione. 75. articu. 5. reſpondet, quòd ſic, vt habes in concil. Tridentino, in præcedenti quæſtione allegato. ea enim accidentia quæ nos in Euchariſtia videmus, clarum eſt, quòd erant panis. Et hoc congruit, quia horribile eſſet comedere carnem Chriſti in propria ſpecie. Et quia diminueretur meritum fidei: vide rationes S. Thom. loco allegato. 62

In eucharistia manent accidētia panis & vini.

to. Manent etiã in hoc ſacramento al
quæ proprietates panis & vini, nam h
mo ſine miraculo nutritur eiſdem.

63 VTRVM prædicta conuerſio ſ
Conuer- inſtantanea, vel ſucceſsiua? Rñdetur
ſio panis cundũ oẽs ꝙ fit in inſtanti: nã ſucceſſ
& vni eſt in rebus naturalibus eſt vel ex defect
inſtanta- materiæ, vel formæ, vel agentis: ſed h
nea.

propter nihil iſtorũ eſt neceſſarium,
fiat ſucceſsiuè, ergo fit in inſtanti. E
verba conſecrationis ſunt cauſa huiu
conuerſionis: ſed illa finiuntur in in-
ſtanti: ergo conuerſio fit in inſtanti, ſc
licet, in primo inſtanti non eſſe verbo-
rum. In conſecratione autem hoſtię e
vi verborum eſt ibi corpus Chriſti, &
etiã anima rationalis, quæ dat formam
corporeitatis: eſt enim ibi corpus Chr
ſti, & etiam caro Chriſti, de qua ante
dixerat, Niſi manducaueritis carnem
filij hominis: ſunt & oſſa & ſanguis,
dicit enim Chriſtus, Hoc eſt corpus
meum, id eſt humanum, & per conſe-
quens

quens caro, & ſanguis, & oſſa. Nam corpus humanum (vt dicitur. 2. de anima) eſt corpus phyſicum organicum potentia vitam habens, cuius actus eſt anima. Caro autem capitur pro materia, & forma, etiam cum accidentibus. Sanguis verò ſub ſpecie panis eſt, ex naturali concomitantia, non ex vi verborum, ſicuti & anima, & diuinitas ipſa.

QVAERITVR, vtrùm Chriſtus ſit totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ? Reſpondetur iuxta fidem chatolicam, affirmatiuè. Sic enim expreſsè diffinitur in concilio Florentino, ſub Eugenio. 4. Et item in concilio Tridentino, Seſsione. 13. Cano. 3. Cuius verba ſunt. Si quis negauerit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit. Sanctus Thomas ingenuè fatetur ſe neſcire modum, 64 Chriſtus eſt totus in tota hoſtia, & in qualibet parte.

quo Christus est in hoc sacramẽto, Al
xand. de Ales. 4. p. q. 40. Altisiodoren
sis Ricardus, Bonauentu. Palu. Duran
Capreo S. Thomas, & omnes antiqu
ponunt hunc modum, & dicunt, quò
Christus est totus in tota hostia, & to-
tus in qualibet eius parte, & quòd om-
nes partes Christi sunt simul cum qua
libet parte hostiæ: sed non simul inter
se, nam corpus Christi in hostia est ex
tensiuè & septem pedum. Nec mem
bra Christi in hostia sunt simul, sed si-
cut in cælo. Quantitas enim habet du
officia, vnum est separare partem ex
parte subiecti, ita quòd caput sit extra
pedes, & brachia extra crura. Alterum
est extendere partes in situ in ordine
ad locum. Quantitas ergo in eucha-
ristia exercet officium primum, non
tamen secundum: nam si Christi cor-
pus non esset in hostia extensum, non
esset organizatum, nec cum figura, &
viueret ibi violenter. Hunc etiam mo-
dum

dum tenet Scotus, Maio. & Marſilius.
Ex quo ſequitur, quòd corpus Chri-
ſti in Euchariſtia verè & ſine fictione
quacunque poteſt à nobis imaginari
cuiuſcunque figuræ voluerimus. Et
ſic depingitur crucifixus, eo modo ſe
habere, ſicut ſi eſſet vnus puer tantil-
lus, ſicut eſt imago crucifixi in hoſtia:
nam vbi ſunt oculi imaginis, eſt ocu-
lus Chriſti, & vbi manus imaginis, ibi
& manus Chriſti, quomodocunque fi-
gurata ſit imago. Hæc nō eſt mala ima-
ginatio.

QVAERITVR, an prędicta con 65
tinentia & exiſtentia corporis & ſan-
guinis Chriſti & totius Chriſti ſub ſpe
ciebus panis & vini, ſit vera & realis?
Reſpondetur affirmatiuè, & ita ſecun-
dùm fidem catholicam tenendum eſt.
Ita enim diffinitur in concilio Triden-
tino, Seſsione. 3. Cano. 1. cuius verbà
ſunt. Si quis negauerit in Sanctiſsimo
Euchariſtiæ ſacramento contineri ve-

rè realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tãtummodo eſſe in eo, vt in ſigno, vel figura, aut virtute, anathema ſit.

66 QVAERITVR, an huiuſmodi realis exiſtentia & continentia totius Chriſti & partium eius in hoc ſacramento duret duntaxat pro tempore quo ſacramentum eſt in vſu, hoc eſt, ſi ſit ibi verè & realiter ſolummodo quando ſacramentum ſumitur. Reſpõdetur negatiuè, ſed eſt ibi ab inſtanti conſecrationis, & tranſſubſtantiationis, vſque dum ſpecies ipſæ panis & vini deſinant eſſe in rerum natura, & ita de fide tenendum eſt. Sic enim diffinitur in Concilio Tridenti. ſeſsione. 13. Cano. 4. his verbis. Si quis dixerit peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe corpus & ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti,

sti, sed tantum in vsu dum sumitur, non autē ante vel post & in hostijs seu particulis cõsecratis, quæ post cõionem reseruãtur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini. anathema sit.

QVAERITVR, an in sacramento Eucharistiæ, Christus sit adorandus adoratione latriæ non solùm interno cultu, sed etiam externo. Respondetur affirmatiuè, & ita secundũ fidē catholicã firmiter est tenendum. Sic em̃ diffinitur in concil. Tridē. Sessi. 13. cano. 6. cuius verba sunt. Siquis dixerit in sancto eucharistiæ sacramento Chr̃m vnigenitũ Dei filiũ, nõ esse cultu latriæ etiã externo adorandũ, atque ideo nec festiua peculiari celebritate venerandũ, neque in ꝓcessionibus secundum laudabilē & vniuersalem ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solenniter circungestandum, vel non publicè, vt adoretur populo proponendum, & eius adoratores esse idolatras, anathema sit. 67

EX quæſtionibus nunc proxim
diffinitis conſtat licere ſacram Eucha
riſtiam in ſacrario reſeruari, & lice
item ipſam ad infirmos honorificè de
ferre, & oppoſitæ aſſertiones hæreſ
ſunt, vt patet ex Concilio Triden
no Seſsione. 13. Cano. 7. cuius verb
ſunt. Siquis dixerit non licere ſacra
Euchariſtiam in ſacrario reſeruari, ſe
ſtatim poſt conſecrationem aſtantib
neceſſariò diſtribuendum, aut non li
cere, vt illa ad infirmos honorificè de
feratur, anathema ſit. Ex eiſdem ite
definitis quæſtionibus liquet certi
ſimumque eſt Chriſtum in Euchari
ſtia exhibitum manducari non tantù
ſpiritualiter, ſed etiam ſacramentali
ter. quod quidem diffinitum eſt vbi ſu
pra cano. 8. his verbis. Si quis dixer
Chriſtum in Euchariſtia exhibitum
ſpiritualiter tantùm manducari, & non
etiam ſacramentaliter, ac realiter, ana
thema ſit.

QVAE

QVAERITVR, vtrum Chriſtus moueatur in hoc ſacramento? S. Tho. 3.p.q.76.arti.6.ponit duas propoſitiones. Prima, corpus Chrī in euchariſtia non poteſt moueri localiter per ſe: quia non poteſt tranſire ab vna parte hoſtiæ ad aliam. Secunda, ad motum hoſtiæ corpus Chriſti mouetur localiter ꝺ per accidens, ſicut motis nobis mouentur ea quæ ſunt in nobis. Idem dicit Marſilius.4.quæſt.7.arti.3.dub.5. de alijs autem motibus, alterationis, calefactiōis, corruptionis: & ſimilibus, dicit S. Tho. & Scot. quòd non eſt ibi capax alicuius actionis aut paſsionis naturalis, ſaltem reſpectu alicuius extrinſeci, reſpectu cuius habet ſe corpus Chriſti ſicut ſi eſſet ſubſtantia ſpiritualis. Et ita communiter tenent omnes: & hoc non eſt propter impedimentum Chriſti, ſed naturaliter. Et ſic in ſacramento hoc nō eſt mobiliter Chriſtus, niſi ſolo motu locali. Et ſi corruptis ſpeciebus deſinat ibi eſ- 69

Chriſtus commodo moueatur in euchariſtia.

ſe corpus Chriſti, non tamen dicit corrumpi, ſicut nec ego deſinens eſſe in hoc loco, dicor corrumpi. Manet igitur Chriſtus tandiu in ſpeciebus, quandiu manet ſubſtantia panis, & vini, ſi non eſſent conſecratæ.

70 QVAERITVR, vtrùm Chriſtus poſsit videri in hoſtia? Reſpond. ex S. Tho. 3. p. q. 76. artic. 7. & naturaliter loquendo nullus oculus corporeus, præter oculum Chriſti, poteſt videre Chriſtum in euchariſtia, nec oculus corporis glorificati. Idem dicit Scotus. 4. diſt. 10. quæſt. 9. & Marſilius. q. 7. artic. 3. & Durand. diſt. 10. quæſt. 4. Secũdò dico ꝙ oculus Chriſti in euchariſtia videt ſe exiſtentem in Euchariſtia. Hoc. S. Tho. 3. par. quæſtio. 76. articu. 7. ad ſecundum. Et quia litera eſt ibi mendoſa, debet ſic legi. Ad. 4. dicendum, quòd oculus corporalis Chriſti videt ſe in ſacramento, non tamen poteſt videre ipſum modum exiſtendi quo eſt ſub ſacramento

Chriſtus an videri poſsit an euchariſtia.

quod

quod pertinet ad intellectum. Tertiò
dico, ꝙ oculus corporalis, tam viato-
ris, quàm beati, per miraculum poteſt
Chriſtum videre in euchariſtia. Hoc
S. Tho. & conuenit etiã Scotus. Et hoc
de oculo corporali. Vtrùm verò per
intellectum poſsit Chriſtus videri, &
eius modus exiſtendi in hoc ſacramen-
to? Dico cum S. Tho. loco citato nunc,
ꝙ naturaliter loquendo nullus intelle-
ctus humanus aut angelicus, coniun-
ctus aut ſeparatus poteſt cognoſcere
Chriſtum in hoc ſacramento ſecũdum
ꝙ eſt ſub ſpeciebus. Patet, quia iſte mo-
dus exiſtendi eſt ſupernaturalis exce-
dens totam naturæ facultatem. Secun-
dò dico, ꝙ beati vident hoc myſteriũ,
ſed in verbo: nam cùm hoc ſacramen-
tum ſit vnum præcipuum de ſubſtantia
fidei, & viſio correſpõdeat fidei & ſpei.
beati vidẽt illud: ſicut audiuimus enim
ſic vidimus in ciuitate domini Dei no-
ſtri. Pſam. 47.

71 QVAERITVR, an quãdo in ho-
ſtia apparet puerulus, vel aliquid aliud (ſicut ſæpè apparuit Gregor. & Paſcha-ſio) ſit ibi realiter Chriſtus? S. Thomas 3.p.q.76.articu.8.dicit ꝙ dupliciter po-teſt fieri huiuſmodi apparitio. Primò per modum tranſeuntis, ita quòd ſubi-tò redit hoſtia ad ſuam propriam for-mam, & tunc à parte rei nulla eſt fa-cta mutatio, ſed ſolùm ex parte oculo-rum & ſenſuum noſtrorum: ſicut pro-phetis apparebant viſiones animalium & beſtiarum, quæ tamen non erant à parte rei. Fit autem hoc in euchariſtia aliquando, vt ſciamus ibi eſſe corpus Chriſti. Secundo modo poteſt fieri ta-lis apparitio perſeueranter, & tunc à parte rei facta eſt vera mutatio ſpecie-rum. Et ſi in forma carnis, aut ſangui-nis appareat, non ſunt ſumendæ pro-pter horrorem ſpecies illæ, & quia hu-manis carnibus veſci illicitum vide-tur. Eſſent tamen prædictæ ſpecies ado-

An in miraculoſis apparitionibus euchariſtiæ ſit Chriſt⁹.

ran

randæ, sicut antea.

QVAERITVR, an accidētia maneant sine subiecto in hoc sacramento, vel an species quæ sunt in hoc sacramento habeant aliquod subiectū? Sanctus Thomas. 3.p.q.77.articu.1.& omnes concorditer dicunt, quòd accidentia manent sine subiecto in hoc sacramento. Quia non sunt in pane, cùm ille iam desierit esse. Nec sunt in corpore Christi, quia accidens migrare non potest de subiecto in subiectū. Et etiam quia Christus habet iam alia accidētia, nec ista conueniunt illi. Et sic est determinatū in capit. firmiter. de sum. Trini. & fide catholica. Quantitas autem est sine subiecto miraculosè à Deo sustentata. Aliæ verò qualitates, vt albedo, caliditas, frigiditas, & aliæ similes sunt in quantitate sine miraculo, & sine speciali Dei concursu. Sicut enim in actibus naturalibus principale agēs est substantia, tamen non mediante se, sed 72

An accidētia maneāt sine subiecto in eucharistia.

mediante accidente: sic in causalitat causæ materialis, principale subiectum accidentiū est substantia corporea, se non immediatè, sed quantitate media te. Et tales qualitates sine miraculo no uo, habent suas operationes: nā specie vini consecrari frigefaciunt naturalite si vinū erat frigidū: nā frigefacere no conuenit substantiæ nisi frigiditatis ra tionè: cùm ergo ibi sit frigiditas, natura liter frigefacit. Sic igitur species conse cratæ faciunt & producunt, quicqu agere & producere possent, si manere cum substantia panis, & vini.

73 QVAERITVR, vtrùm vino c secrato posit misceri aliquis liquor n consecratus? & si talis mixtio fiat, sit totum consecratum, vel pars, aut n hil: vel pars sic, & pars non? Hæc est g uis difficultas S. Thom. 3. p. q. 77. arti 8. ponit aliquas propositiones. Prim si misceantur duo liquores diuersaru specierum, si sint in qusntitate suf cient

An vino consecrato posit misceri alius liquor.

cienti, & fiat perfecta mixtio, vtrunque corrumpitur, & fit vnum tertium. Secunda, ſi miſceantur duo liquores eiuſdem ſpeciei, & in quantitate ſufficienti, vtrunque corrumpitur, & fit vnum tertium. Tertia, ſi vino conſecrato apponatur tantundem aquæ, vel alterius liquoris, non manet ibi corpus Chriſti: iam enim non eſt vinum. Quarta, ſi vino cõſecrato miſceatur aliud vinum non cõſecratum eiuſdẽ ſpeciei in quantitate ſufficienti, non manet ibi corpus Chriſti. Sed hoc vltimum intellige quãdo per multum tempus, & per motum magnum (quod rarò continget) fieret perfecta mixtio. Tunc enim non manerent partes vini conſecrati, quia eſſent diuiſæ ſubintrantibus alijs vini ſuperadditi. Vnde poſt ſumptionem ſanguinis eccleſia conſueuit accipere bis vinum, vt ſi manſerit aliquid ſanguinis, aſſumatur. Dico ergo ſine metu, quòd etiã addito multo vino non con-

ſecrato, manet ibi corpus Chriſti.
ſanguis eius: & conſequenter quo
ſecunda ablutione, melius erit aſſu
re plus aquæ quàm vini: quia tunc c
rumpentur ſpecies vini.

74 QVAERITVR, quæ ſit for
huius ſacramenti? Reſpondetur ſecu
dum omnes, & eſt determinatio eccl
ſiæ in. c. cùm Marthæ. de celebratio
miſſarum. & in concil. Florentino, fo
ma conſecrationis panis eſt hæc, *H*
eſt enim corpus meum. Et forma con
crationis vini. *Hic eſt enim calix ſang*
nis mei noui & æterni teſtamenti: my
rium fidei, qui pro vobis & pro multis
fundetur in remiſsionem peccatorum.
oppoſitum dicere eſt peſsimus err
Et malè de hoc dubitat Eraſmus in a
notatione. 1. Corinthiorum. 11.
ait, Vtinam Paulus nobis traderet q
bus verbis ſacer ille panis conſecr
deberet. Verè miror, non de errori
horum grammatiſtarum, ſed de eoru
ſuperbi

Forma conſecrationis panis & vini.

ſuperbia maxima, qui non habentes au toritatem pro ſe reuocant hoc in dubiũ. Sed illis dimiſsis, dicimus hác eſſe formam cõſecrationis euchariſtiæ, qua vſus eſt Chriſtus in vltima cœna, *Hoc eſt enim corpus meum*. Et ita etiam apertè dicit S. Cypria. de cœna Domini in principio, & Ambr. libr. de ſacramẽtis, & habetur de conſe. d. 2. cap. conſe. &c. Illa autẽ verba quæ præcedũt formam conſecrationis, ſcilicet, *Qui pridie quam pateretur. &c.* licèt Sco. dicat eſſe ita neceſſaria, vt ſine ipſis eſſet dubia conſecratio melius tñ S. Tho. 3. p. q. 78. art. 1. 4. & Duran. d. 8. dicunt nõ eſſe neceſſaria, neceſsitate ſacramenti, cùm nõ ſint forma: propter ordinationem tñ ecclèſię non liceret ea prætermittere. In conſecratione verò ſanguinis calicis forma eſt, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei:* Hæc ſola verba ſecundum cõmunẽ opinionẽ ſunt ſufficientia ad cõſecrationẽ ſanguinis. Reliqua verò quæ ſequũtur,

scilicet, *noui & æterni testamenti*, & sunt de perfectione formæ, & nõ de essentia sacramẽti: sicut ly, ego, in form baptismi. Hoc patet, quia Græci ita consecrant sanguinem, nec ob hoc sunt damnati ab ecclesia, & in missali B. Basilij illa sola verba tanq̃ forma erant rubeis literis scripta. Scotus tñ admonet ꝙ sacerdos non debet intendere consecrare per ista, vel illa verba: sed debet absolutè consecrare, dicens omnia illa verba, quæ sunt in forma, qua nunc ecclesia nr̃a vtitur. Ly, enim, in vtraque forma non est de essentia sacramenti nullus enim Euangelista ponit illud malè tamẽ faceret qui omitteret illud. Potest etiam forma dici quacunque lingua: sed tamen variare illam, & alia lingua dicere, peccatum esset, licèt sacramentum teneret.

75 Quid demonstret p̃ nomẽ

QVAERITVR, quid demõstretur in forma eucharistiæ per illud pronomẽ, hoc? Resp. ꝙ licèt de hoc sint varia

riæ opiniones, tenendũ tamen eſt cum S. Tho. 3. p. q. 78. art. 5. & ſuper epiſt. 1. Corint. 11. vbi ponit aliquas ꝓpoſitio. Prima, Tam Chriſtus quã ſacerdos aliquid demonſtrat per ly, hoc, quia aliàs verba nõ applicarentur materiæ. Secunda, Per ly, hoc, non demonſtratur aliquid ſingulare, & diſcretè: ſed dicitur in generali & indiſtinctè: & ſenſus eſt, contentum ſub his ſpeciebus, eſt corpus meum. Sicut cùm dicimus, Hic eſt calix, &c. intelligitur, contentũ in hoc calice, eſt ſanguis meus. Sicut quando demonſtro marſupium, & dico hoc eſt aurum ſenſus eſt, quod continetur hìc eſt aurum. Sic etiam in forma ſignificatur, quod continetur vel continebitur hìc eſt corpus meum. Idem tenet Ricar. 4. d. 8. q. 1. arti. 3. & Duran. diſ. 8. q. 2. ad primum argumentum principale. & Capre. diſt. 8. & 9. qõ. vnica. ad argumenta contra. 5. concluſionem. & Altiſiod. & Gloſ. ſuper Mattheũ. 26. & hoc in cõſecratiõe panis.

Marſi.

Marsil. 4. q. 6. Et est manifestum, n
illa forma, Hoc est corpus meum, n
aliud facit, nisi quòd corpus Christi
tineatur sub his speciebus, ergo hoc
sum significatur per formam.

76 QVAERITVR, qui sint effec
Effectus eucharistiæ. huius sacramenti? Rñdet S. Thom.
p. q. 79. arti. 1. ꝙ primus effectus est c
latio gratiæ, hæc autem gratia côfert
in sumptione, vt patet Ioan. 6. Qui m
ducat meã carnẽ, & bibit meum sang
nem in me manet & ego in eo. Grati
quas promittit Christus in hoc sacr
mento promittit ratione sumptioni
ergo ante sumptionem non conferun
tur: & de hoc non est dubitandum. D
tur autẽ prædicta gratia immediatè i
ipsa sumptione. Et omnibus sumẽtibu
eucharistiã confertur æqualis gratia r
tione sacramẽti ex opere operato. N
tamen ideo datur maior gratia, quia re
cipitur sub vtraq; specie: nam aliàs qu
maiorem hostiam sumeret, maiorem
perci-

perciperet gratiam ratione quantitatis continuæ, quod eſt falſum, ac proinde nec ratione quantitatis diſcretæ, cũ ſub ſpecie panis & vini ſit vnicũ ſacramentũ. Et aliàs fraudaretur populus magna grã ſacrificij: cũ ꝑfectò pia mater eccleſia non negaret illud ſub vtraq; ſpecie, ſi daret maior grã. Iſte aũt effectus grãæ nõ impeditur per peccatum veniale: licèt enim quis recipiat euchariſtiam in actuali peccato veniali, non ideo impeditur augmentum gratiæ in eo, vt ait S. Tho. 3. p. q. 79. art. 8. quia aliàs eſſet magnũ periculũ. Quis enim ſine peccato veniali accederet ſæpe? per peccatum autẽ veniale impeditur actualis ſenſus guſtus, & delectatio ſpiritualis. Nec etiã requiritur tunc motus liberi arbitrij actualiter concomitans ſumptionem Euchariſtiæ: ſufficit enim motus liberi arbitrij præcedens, vt etiam dicit Sanctus Thomas. 4. diſtinctiõe. 15. quæſtione. 1. articul. 3. quæſt. 2. ad. 2.

QVAE-

77 QVAERITVR, an per hoc ſacr. mentũ remittatur peccatũ mortale, ſcilicet poſsit quis accedere ad euchar. ſtiam in peccato mortali, ita ꝙ non pe cet mortaliter de nouo? Rñdetur, ꝙ d. pliciter põt quis accedere cũ mortal. Vno modo ſcienter & talis ſempor pe cat mortaliter de nouo. Nõ dijudican corpus Domini iudicium ſibi mandu cat & bibit. Secundo modo ignoran ter, quia ſcilicet doluit, & credidit ſe ha buiſſe ſufficientem dolorem: cùm ta men in rei veritate talis dolor non fue rit ſufficiens: & talis non accedit indi gnè, nec peccat mortaliter, quinimo virtute ſacramenti remittitur præce dens peccatum. Hoc Sanctus Thom. 3 p. q. 79. art. 3. &. q. 80. arti. 4. & Alexan de Ales. 4. par. q. 46. memb. 3. ad ſecun dũ. & Bonauentura. 4. diſt. 9. q. 7. & Ga briel in canone, lectione. 8. & Marſil. 4. q. 6. arti. 4. concluſione. 1. & Gerſon in multis locis, & ſuper Magiſtrũ tracta.

Per euchar. remittitur peccatũ mortale.

9. p

9.p.3. Adrianus quęſt. 1. de euchariſtia, & omnes præter vnum Maio. Patet autem hoc, nam aliàs cùm non poſsit homo ſcire, vtrum odio vel amore ſit dignus (iuxta illud, Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. 1. Corinthiorum. 4. & Iob. 9. Verebar omnia opera mea: & ibidem, ſi ſimplex fuero, hoc ipſm ignorabit anima mea. &, De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Eccleſi. 5.) periculoſiſsimum eſſet accedere ad Euchariſtiam, & talis exponeret ſe periculo peccati mortalis, cùm nemo ſciat ſe ſine peccato accedere. Item Ioannis. 6. dicit Chriſtus, Panis verus eſt qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mũdo, cùm igitur accedes in gratia, iam habet vitam: ſi aliquando exiſtenti in mortali inculpabiliter ignorato, non daret, gratiam nunquam eſſet verum, ꝙ hic panis vitam daret mundo. Satis eſt igitur, ad hoc vt quilibet ſecurus accedat ad euchariſtiam: ꝙ

doleat

doleat de præteritis,& proponat cau: re futura, licèt aliquando non ſint re miſſa peccata:& tunc remiſsionem eo rum accipiet, non ratione contritio nis, quæ perficietur: ſed ratione ſacr: mēti, quod ſecundum Auguſtinum ſanctos, viuificat mortuos, & ſemp: ſic accedens habebit gratiā. Et licet c hoc aliqui dubitent,ego tamen nullu: dubium habeo. An verò huius ſacra menti præcipuus effectus ſit remiſſ peccatorum, dices ſecundum fidem: tholicam,negatiuè, ita enim diffinit in concilio Tridenti. Seſsione. 13. ca 5. vbi ſic dicitur. Si quis dixerit vel pr: cipuum fructum ſanctiſsimæ Euchar ſtiæ eſſe remiſsionem peccarorum v ex ea non alios effectus prouenire, ar thema ſit.

78 QVAERITVR, an ante ſumpt nē euchariſtiæ ſit neceſſaria confeſsi vel an ſufficiat ſola contritio cum pro poſito confitendi peccata ſemel in a

An ſumptionem Euchariſtiæ præ-

no

nos? Reſpon. ſententia omniũ Theologorum S. Thom. Durand. Scoti, Palud. Alexand. Bonauent. Gabriel. Ochã, & aliorum eſt, quòd neceſſarium eſt confiteri omnia peccata mortalia antequã accedamus ad euchariſtiam. Quæ ſententia adeò certa & firma eſt, vt nulli iam liceat de oppoſito aliquid etiam opinatiuè aſſerere. Hoc patet ex Concilio Tridentino, Seſsione. 13. De Euchariſtia. capit. 7. & iterum immediatè poſt Canonem vndecimum, idem diffinit ſub his verbis. Et ne tantum ſacramentum indignè, atq; ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus illis quos conſcientia peccati mortalis, grauat quantuncunque etiam ſe contritos exiſtiment habita copia confeſſoris neceſſariò præmittendam eſſe cõfeſsionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium dicere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè regritur cõfeſsio.

 diſpu-

diſputando defendere præſumpſeri: eo ipſo excommunicatus exiſtat. Hæ autem præadducti doctores nõ ſolum dicunt iure poſitiuo tantum, ſed etiam iure diuino: & hoc habitum eſt ſemper pro certo, & ab antiquo. Vnde Hugo de ſctõ Victore, vir magnæ autoritatis in lib. de Eccleſiaſtica poteſta. dicit, Audacter dico, ſi ante ſacerdotis confeſsionẽ quis acceſſerit ad corpus & ſanguinẽ Chriſti reus erit corporis & ſanguinis dñi quãtumuis pœniteat, & vehementer doleat, & ingemiſcat. Hoc autem dixit. 60. annis ante Innoc. 3. qui inſtituit ca. omnis vtriuſq; ſexus. Ex quo patet ꝙ non de nouo in prædicto cap. fuit poſitum præceptũ de cõfeſsione ante euchariſtiam præmittenda. Et Cypria. in epiſtola ad fatres conſiſtentes in plebe, reprehendit Ep̃os ſui epiſcopatus Carthaginenſis, eo ꝙ nõ memores euangelij, & ſuæ authoritatis, lapſis dabant euchariſtiã ante confeſsionẽ. Idẽ dicit (&

adhuc

ad huc acriùs) in libello ad lapſos, & in alijs locis multis. Et lib. 6. eccleſiaſticæ hiſtoriæ refert Euſebius de Philippo imperatore, quòd cùm in die Paſchæ communicare vellet non fuit permiſſus ab epiſcopis, niſi prius confiteretur peccata. Omnino igitur tenendum eſt contra Caieta. neceſſariam eſſe confeſsionem ſacramẽtalem ante ſumptionem euchariſtiæ. Quod etiam probatur ex conſuetudine eccleſiæ: quam frangentes putant ſe grauiter errare. Itẽ euchariſtia eſt ſacramentum vnitatis eccleſiaſticæ: ergo recipiens illam oportet, non ſolum vt reconcilietur Deo per cõtritionem, ſed etiam miniſtris eccleſiæ per confeſsionem. Item Matth. 6. Chriſtus dicit, Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus ante altare, & vade reconciliare fratri tuo. Hæc igitur ſententia tenenda eſt, quauis non

putem hæreticum, quod Caietan
dicit.

79 QVAERITVR, an liceat aliq
do ſumere euchariſtiã ante confeſsi
nẽ? Reſp. ſecundũ omnes, ꝙ ſic: prim
quando quis tempore neceſsitatis, qu
tenetur ſumere euchariſtiam, non h
bet copiã confeſſoris. Cũ enim præc
pta dñi ſuauia ſint, nec præcepta po
tiua militent contra ius naturale, n
tenemur ea implere cum infamia n
ſtra ac proinde ſi parochus ruran
non habet confeſſorem, & ſi non ce
brat ſe diffamat, celebrare poteſt ſi
præuia confeſsione. Et eodem mo
ſi ego habeam caſus reſeruatos, & n
eſt epiſcopus præſens, & ſi non ce
bro infamor, poſſum celebrare ſi
cõfeſsione peccati reſeruati. Item pr
pter reuerentiam ſacramenti, putà
cœpi celebrare, & in ipſa celebrati
ne meminero alicuius peccati mor
lis, non oportet vt relinquam miſſa

1. Caſus Aliquando licet ſumere euchariſtiã ſine præuia cõfeſsione.

Secũdus.

qui

quia facerem irreuerentiam euchariſtiæ:& hoc etiam ſi ſim in ipſo principio miſſæ. licèt ſolũ introitũ dixerim. Ita tenet Ricard. Paluda. & alij: quod credo verum, quanuis Archiepiſcopus Florentinus dicat, ꝙ ſi ante conſecrationem recordetur, & poſsit ſine ſcandalo quærere confeſſorem, debet illum quærere. Sed non credo hoc eſſe verum. Idem dicendum eſt de his qui ſunt ibi parati ad recipiendam euchariſtia, qui ſi ibi recordati fuerint alicuius mortalis, ſecurè poſſunt cõmunicare, etiam ante confeſsionem, propter reuerentiam ſacramenti. Nec de hoc dubito.

QVAERITVR, vtrum ſacerdos debeat dare Euchariſtiam peccatori perſeuerãti in peccato, & petenti eam? Reſpond. primò ſecundum omnes, ꝙ publico peccatori, concubinario, vſurario, meretrici, & ſimilibus non debet dari Euchariſtia: quia eſſet mittere margaritas ante porcos, & ſanctum 80

An euchariſtia ſit dãda peccatorib•

dare canibus. Item quia talis publicu peccator, non habet ius ad petendum ſacramẽtum, quia eſt ſibi prohibitum 1. Corinthi. 11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat: ergo qui negat ei ſacramentum, non facit ei iniuriam. Per publicum autem peccatorem intelligimus cũ S. Tho. 3. p. q. 80. arti. 6 & 4. d. 9. q. 1. arti. eum qui damnatur à iudice propter euidẽtiam facti cuius populus eſt teſtis: vt dicitur in ca. cum dilectus. de purgatione canonica. & capit. euidentia. de accuſationib. & ca. tuas nos. de cohabitatione clericorũ, & mulie. talibus igitur neganda eſt euchariſtia. Verum eſt, quòd ſi is qui eſt publicus peccator in vno loco, accedat ad me in alio loco diſtanti, in quo reputatur bonus, nec põt fama facilè ad hunc locũ peruenire, & petat euchariſtiam: probabile videtur mihi, ꝙ teneor illi dare, quia aliàs offenderem eum grauiter. Si autem publicus peccator, ſecretè

poeni-

pœnituit, & petit euchariſtiā in publico, non debeo illi dare, quouſque oſtendat pœnitentiam ſuam exteriùs. Si verò ſecretè pœnituit, & ſecretè petit, debet illi dare euchariſtiam: niſi exiſtimetur, quòd hoc factum veniet in publicum. Si autem peccator occultus, quem ego & aliqui alij ſcimus peccatorem, publicè petat euchariſtiam, danda eſt illi: quod etiam fecit Chriſtus cum Iuda: aliàs diffamarē eum. Admoneat tamen eum parochus ſecretè ſi poſsit, vt dicitur in capitu. 2. de officio ordinarij. Si autem peccator occultus occultè petat, ſiue ſacerdos ſciat eius peccatum in confeſsione, ſiue extra cōfeſsionem, debet ei denegare: quia nullo modo ei nocet. Ita tenet S. Tho. 4. d. 9. q. 1. art. 5. quæſtio. 2.

QVAERITVR, vtrùm pollutio nocturna impediat ſumptionē euchariſtiæ. Pro reſponſione notandum cum Palud. 4. d. 6. q. 3. ꝙ pollutio nocturna 87

An pollutio nocturna impe-

diat ſumptionem euchariſtiæ.

nunquã eſt peccatum, ſed ſignum, a
effectus peccati. Et idem dicit S. Th
4. diſt. 9. q. 1. arti. 2. &. 3. p. q. 80. artic.
quia talis actus non eſt immediatè
poteſtate hominis, Si igitur ille act.
ſequatur ex cauſa culpabili mortalite
tunc dixit Ricard. & quidam alij, qu
impedit ſumptionẽ euchariſtiæ, ita
peccaret mortaliter qui poſt illam ac
deret ad ſacramentum. Sed dicendu
eſt abſolutè, quòd nulla pollutio no
cturna impedit ſumptionem euchar
ſtiæ ſub pœna peccati mortalis. Ho
tenet Palud. 4. d. 9. q. 4. concluſione.
& Gabriel lect. 10. in canone, & Ge
ſon de materia celebrationis conſide
tione. 7. & Maio. diſt. 9. q. 2. & Sylue
verbo Euchariſtia, & Bonauentura, d
12. q. 3. Hoc patet, nam poſt confeſsio
nem non manet, niſi quædam immun
ditia corporalis: ſed vt dicitur Matth
18. Non lotis manibus mãducare no
coinquinat hominem, ergo. Item, qu
vt

vel hoc impendit ſumptionem euchariſtiæ, propter malitiam: & hoc non quia maiora peccata, ſcilicet blaſphemia, & periurum, non impediunt. Vel propter diſtrãctionem & turbationem: & hoc non, quia legitimus concubitus non impedit, cùm tamen æqualiter diſſoluat mentem, ſicut illigitimus, imò & ampliùs cùm ſit in vigilia: ergo pollutio nocturna non impedit ſumptionem euchariſtiæ. Si vero pollutio fuerit mortalis, accedere ad ſacramentum erit veniale propter quandam irreuerentiã, quia mens multùm diſtracta eſt. Et ſancti conſulunt, vt tales per aliquod tẽpus abſtineant, ſcilicet vſque ad diem ſequentem, vel per. 24. horas, vt dicit Alber. Alexan. & ſanct. Tho. Et etiam ſi pollutio fuerit merè naturalis, propter reuerentiam ſacramenti, melius erit non accedere illa die. Et ita conſulunt decreta cap. teſtamentum. & capi. non eſt. diſt. 6. Et hoc niſi fuerit feſtum

aliquod, vel causatur nota aliqua apu
videntes, quòd iste non celebrat: tu
enim meliùs erit celebrare. Ista autē
irreuerentia non facit ꝙ sit peccatū
veniale accedere ad eucharistiam, qu
talis immūditia fuit merè naturalis. I
dicit S. Tho. 3. part. quæst. 80. artic. 7:
vbi ait, ꝙ id quod consulunt sancti, to
tum est de congruitate & cōsilio. Po
concubitum autem coniugalem, Gre
go. 34. q. 4. cap. vir cū propria. dicit, q
accessit voluptatis causa, abstineat:
autem ratione prolis, suo iudicio relin
quatur. Breuiter dico, ꝙ accedere a
eucharistiā post legitimū concubitum
non est peccatū. Post quācūq; vero al
pollutionem in vigilia, fornicationem
aut adulteriū, accedere ad eucharisti
etiam post pœnitētiā & confessionem
magna irreuerentia est, sed non pecca-
tum mortale, secluso contemptu: me-
lius tamen esset tunc abstinere. Post
sumptionem etiam eucharistię bonum
est:

eſt, ꝙ vir à propria vxore abſtineat, ſed non eſt neceſſarium.

QVAERITVR, an accedens ad euchariſtiã debeat eſſe ieiunus? Reſpõ. omnino, ꝙ ſic S. Tho. 3. p. q. 80. artic. 8. allegat Auguſti. epiſto. 118. in reſponſione ad Ianuarium. Et habetur de conſecra. d. 2. c. liquido. vbi dicitur, placuit ſpiritui ſancto, & ita apoſtoli ordinauerunt, & ita ſeruatur per totum orbem, vt non ſumeretur cibus ante corpus dominicum. Idem dicitur in concilio Carthaginenſi. Et habetur de conſecr. diſt. 1. capit. ſacramenta, & cap. ex parte, de celebratione miſſarum prohibetur ſacerdos ne bis celebraturus, in prima celebratione ſumat ablutionem. Vide etiam capit. nihil. 7. q. 1. Chriſtns autẽ euchariſtiam dedit apoſtolis poſt cœnã, quia ſecundũ ritum legis, illa hora debebat celebrari paſcha, & prius debuit plenè legem obſeruare, quàm hoc ſacramentum inſtituere. Et voluit vltimo 82

Euchariſtia à ieiunis ſumẽda.

timo loco hoc tam grande donum re
linquere, quo vehementiùs cōmenda
ret myſterij illius altitudinem. Inſtit.
tio autem apoſtolorum fuit legitim
vt cum maiori reuerentia ad tantum
cramentum accedatur. Si enim Leu
10. prohibetur Aaron & filijs eius n
bibant vinum, nec omne quod inebr
re poteſt, quando erant ſanctuariu
intraturi, vt haberent ſcientiam diſce
nendi inter ſacrum & prophanum, in
ter pollutum & immundum: mult
magis ſacerdotibus celebraturis con
uenit, vt ieiuni accedant ad tam adm
rabile ſacramentum. Hoc igitur de f
de tenendum eſt, & oppoſitum eſt er
roneum, & hæreticum, vt determina
tum eſt in concil. Conſtantienſi, Seſſ
13. quanuis derideat hæreticiſsimus il
le Luthe.

83 SED dubitatur, an ſaltem aliquan
An aliqñ do liceat ſacerdoti celebrare poſt pran
euchari- dium, ſeu conſecrare, vt det euchari
ſtia poſ-

ſtiam

stiam existenti in extrema necessitate? Maio. distinctione. 9. quæstione. 3. ad 5. dicit, quòd licet: imò in fermentato, & sine alijs solennitatibus potest consecrare secretè: quia diuinum ius derogat positiuum, cùm ergo esse ieiunum, & consecrare in azymo sit de iure positiuo, communicare verò sit præceptum diuinum: sequitur, quòd primum non potest impedire secundum. Oppositum tenet Paludanus distinctione nona. vbi ait, quòd non licet, & hoc credo probabilius. Item videtur contra ius diuinum consecrare panem sine vino, & econtra. Et est contra capi. cõperimus. de consecra. dist. 2. Et consecrare in fermentato, & sine solennitatibus prohibitũ est, ac proinde non est faciendum. Si commodè fieri potest, propter reuerentiam sacramenti, detur eucharistia manè infirmis antequam aliquid sumatur. Si autem hoc commodè fieri non potest, detur illis

sit sumià non ieiuno.

etiam

etiam poſt cibum ſine ſcrupulo. It: enim tenet vſus eccleſiæ, & omnes doctores, & meritò quidem: nam quod propter iuſtitiam inſtitutum eſt, non debet contra charitatem militare. Debet igitur recipiens Euchariſtiam eſſe omnino ieiunus. Verum eſt, ꝙ ſi cùm quis lauatur, guſtaret paululum aquæ vel vini, præter intentionem, non ideo impedietur ſumere euchariſtiã, dum tamen fuerit in parua quãtitate. Et ſic tenet S. Tho. & oẽs. Idẽ dicito, ſi cibi fruſtũ paruũ manſerit inter dentes, & præter intentionẽ deglutiatur. Si etiã poſt ablutionẽ inueneritſacerdos reliquiam hoſtiæ, poteſt & debet eam accipere, quia ieiunus incepit, & eius officium nondum eſt terminatũ. Item quia aliàs non poſſet ſufficienter occurri neceſſitatibus, & difficultatibus, nam frequenter poſt ablutionem, inueniuntur reliquiæ. Patet etiam, quia in paraſceue ſumitur particula hoſtiæ poſita in vino,

no, etiã ſi poſt primum hauſtum particula adhæreat calici.

QVAERITVR, quibus ſit dãda euchariſtia, vtrum poſsit dari non habentibus vſum rationis? S. Tho. 4. diſt. 9. & 3. p. q. 80. art. 9. cũ alijs doctoribus reſpondet cũ diſtinctione. Nõ habẽtes vſum rationis ſunt in duplici differentia: quidã qui dicuntur nõ habere, quia parũ habent, vt ſunt hebetes: & rudes: & iſtis nullo modo eſt euchariſtia neganda. Alij ſunt totaliter priuati vſu rationis. Et iſti ſunt in duplici differentia: quidam qui nunquam habuerunt vſum rationis, vt ſunt pueri, & amentes à natiuitate: & talibus non eſt danda euchariſtia, quia non habent deuotionem, nec diiudicant corpus dñi ab alijs cibis. Alij ſunt qui aliquando habuerunt vſum rationis, vt phrenetici: & talibus ſi non ſit periculum irreuerẽtiæ, vel vomitus, & priùs pœnituerint & habuerint deuotionem ad euchariſtiam 84

An ſit dã da euchariſt. non habentibꝰ vſum rationis.

ſtiam,& petierint:licèt poſtea in phr
neſim inciderint , non debet neg
quia per ea quæ naturalia ſunt, non c
bet q̃s perdere beneficia gratuita. H
probatur duobus decretis cap. qui re
dunt.&.c.is qui. 26.quæſt.6. & tales re
cipient in ſumptione euchariſtiæ gr
tiam omnes alios effectus ſacramen
ti : licèt in hoc non conueniat Caieta
4.p.q.7.arti.1.ſed oppoſitũ cũ S. Th
credo verum. De pueris etiã licèt co
ſuetum fuerit olim apud aliquas eccl
ſias,vt daretur eis euchariſtia , dicim
cum.S.Tho. ꝙ non tenentur eam rec
pere : nec conueniens eſt ꝙ illis det
Hoc patet ex vſu eccleſiæ,quæ quide
non permitteretur tam enormiter er
re.Item quia pueri poſt baptiſmũ ſu
in gratia,quam non poſſunt perdere
ne culpa ſua:ſed culpam ante vſum r
tionis cõmittere non poſſunt , ergo n
tenentur de neceſsitate recipere euch
riſtiã:aliàs baptiſmus non ſufficeret a
ſal

salutem, quod asserere est hæreticum. Et ita diffinitum est in Concilio Tridẽti. sessio. 21. de communione. Cano. 4. Cuius verba sunt. Si quis dixerit paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessarium esse eucharistiæ communionem, Anathema sit. Idem habetur in eadem sessio. Can. 4. Secundò dicimus, quòd huiusmodi paruulis nullo pacto est danda eucharistia propter pericula vomitus & eructationis, vel alterius irreuerentiæ, quæ frequens est in pueris. Ideo nunc in ecclesia illis eucharistiam conferre, sacrilegium esset. Si autem de facto daretur illis, reciperent gratiam.

QVAERITVR, vtrũ liceat quotidie sumere eucharistiã? S. Tho. 3. p. q. 80. arti. 10. respondet, quòd eucharistia dupliciter consideratur, vno modo secundum se, secundum ꝙ confert gratiam ex opere operato sumenti ipsam. Et quatum ad hoc nõ solùm quotidie, 85

An liceat quotidie euchari-stiam sumere.

verùm ſæpe in die quolibet eſſet ſumẽ da, vt gratia augeretur. Secundo mo potest conſiderari ex parte noſtra, c qua requiritur reuerentia, & deuoti & ſecundùm hoc non eſt conueniens quòd homo accedat quotieſcunque p tuerit, ſed expectet cõmodum temp quo ſit deuotus. Qui igitur ſe inuene rit cum deuotione, & non diſtractum laudabiliter quotidie communicabit vt patet ex conſuetudine primitiuæ ec cleſiæ. Et quia nunc etiam laudantur qui quotidie celebrãt. Patet etiam Au guſt. autoritate de verbis dñi, panis (in quit) iſte quotidianus eſt, accipe quo tidie, vt quotidie tibi proſit: ſic tamen viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia ſunt multa impedimenta, lau dabile eſt aliquando abſtinere, vt Au guſti. dicit libr. de eccleſiaſticis dogma tibus. Et habetur in capitu. quotidie. de conſecratio. diſtinctio. 2. quotidie com municare, nec laudo, nec vitupero.

Gerſon

Gerſon ſuper magiſtrum, tractatu. 9. dicit, quòd illi qui propterea quòd frigidi ſunt (alioquin ſine peccato) recedunt ab euchariſtia, ſunt ſimiles illis qui frigent, & nolunt accedere ad ignem. Effectus enim euchariſtiæ eſt ipſa deuotio, nunquid priùs vis effectum euchariſtiæ quàm ipſam euchariſtiam? Presbyteris igitur laudabilius eſt communicare quotidie. Vnde Gregorius. 4. libr. dialogorũ. c. 56. refert Caſsiũ Narnienſiũ epiſcopum quotidie celebrantem, & in celebratione ſtantem. Et dicit mandatum dñi accepiſſe per reuelationẽ cuidam alteri factam, operare quòd operaris, nõ ceſſet manus tua, nõ ceſſet pes tuus. &c. Et Ambroſius. Graue eſt, quòd ad menſam tuã, mũdo corde, & innocentibus mannibus non venimus: ſed grauius eſt, ſi quia peccata metuimus, ſacrificium non reddamus. De ſecularibus autem dicimus, in primitiua eccleſia eos frequentiſsime, &

forſan quotidie communicaſſe. P
ſteà ceſſante numero fidelium, tem
re Auguſtini fiebat hoc rarius, quib
dam quotidie, alijs dominicis dieb
hoc facientibus, vt ait Auguſtinus
epiſtola ad Ianuarium. Et habetur. i
d. cap. illa autem. Poſtea Fabianus p
pa præcepit, vt ſaltem ter in anno om
nes cõmunicarent, ſcilicet in Paſch
Pentecoſte, & in Natiuitate dñi. T
dem papa Innocentius tertius, vel p
pter multitudinem fidelium, vel pr
pter eorum indeuotionem, traxit co
munionem ad hoc, vt ſatisfacerent i
mendo ſemel in anno. vt patet in ca
omnis vtriuſque ſexus, de pœnitẽti
& remiſsionibus. Laudabile tamen e
vt ſæpe fideles communicent.

86 QVAERITVR, an ſit præcep
de ſumptione euchariſtiæ? S. Tho. 3.
q. 80. ar. 11. ponit duas cõcluſiones. P
ma. Ex præcepto diuino tenentur o
mnes fideles communicare. Patet Ioa

An ſit præceptum ſumendi euchariſtiã

nis. 6. Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitã in vobis. Itẽ conſuetum eſt in eccleſia infirmos communicare, quod non eſt præceptum in iure poſitiuo: & qui hoc transgreditur, putat ſe graue malum feciſſe, ergo præceptum eſt in iure diuino. Hoc tenet Duran. 4. d. 9. q. 2. & Palud. d. 9. q. 1. Et hoc præceptũ diuinũ obligat ſicut alia præcepta affirmatiua tempore neceſsitatis quando ſcilicet qui eſt in tali ſtatu, ꝙ iam probabiliter credit ſe non habiturum vlteriùs opportunitatem recipiendi. Secunda concluſio. S. Thom. Ex ſtatuto eccleſiæ quilibet fidelis tenetur communicare ſemel in anno: vt patet in. c. omnis vtriuſq; ſexus. Qui autem iam communicauerit in vita, & ſemel in anno, in articulo mortis non cõmunicans propter negligentiam quandam, non peccabit mortaliter: vt bene dicit Syluester verbo, euchariſtia. 3.

Hoc patet, quia damnatis ad morte non datur eucharistia. Verum est qui hæc est pessima consuetudo iudicu: prætendunt enim reuerentiam euch ristiæ, sed sunt fabulæ, non putant esse iudices nisi occidant, tamen ne damnantur tanquam rei peccati mo talis.

87 QVAERITVR, vtrũ sit neces rium sumere eucharistiã sub vtraq; sp cie? Respon. quòd secundum fidem tholicam nec est ex Dei præcepto, n de necessitate salutis vt omnes Ch sti fideles adulti sumant eucharist sacramentum sub vtraque specie, & c positũ asserere est hæreticum. vt dif nitum est in Concilio Tridentino: se sio. 21. Cano. 1. cuius hæc sunt verb Siquis dixerit ex dei præcepto vel ne cessitate salutis oẽs & singulos Chr sti fideles vtranque speciem sanctiss mi eucharistiæ sacramenti sumere de bere, Anathema sit. Dicimus vlteriu

An sit cõi cãdũ sub vtraque specie.

quòd n

quod in primitiua eccleſia fuit conſuetudo ſumendi euchariſtiam ſub vtraque ſpecie. vt patet. 1. Corinthiorum. 18. Vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Et hoc etiam dicit Cyprianus in ſermone de lapſis. Et dicuntur Græci modò ſic populum communicare. Sed in concilio Conſtãtienſi, & Baſilienſi interdictum eſt ſub pœna excõmunicationis, ne ſeculares communicemus ſub vtráque ſpecie, & damnati ſunt vt hæretici qui dicebant eſſe neceſſariũ ſub vtráque ſpecie communicare. Et hoc congruè ordinatum eſt, quia ſæpe contingeret periculum effuſionis ſanguinis ſi toti populo dandus eſſet. Item quia aliquibus eſt horridum vinum, maximè fœminis. Item vt euitaretur error Neſtorianorum hæreticorum dicentium, quòd ſub ſpecie panis nõ eſt niſi corpus, & ſub ſpecie vini non niſi ſanguis. Ideò ſub vnica ſpe-

cie communicatur populus: vt oſten tur, q eſt totus Chriſtus ſub quali ſpecie, ſunt autem vel hæretici & t quam hæretici puniendi aſſerentes cleſiam erraſſe dum ſupradictis pro buit ſub vtraque ſpecie communica Similiter & hæretici ſunt & tanqu tales puniendi, aſſerentes eccleſiã n iuſtis cauſis & ratiõibus fuiſſe addu dũ illud prohibuit. Hæc patẽt ex eo Concilio Tridenti. ſeſsio. 21. de co munione. Cano. 2. Cuius verba ſunt quis dixerit ſanctam eccleſiam cha cam non iuſtis cauſis & rationibus ductam fuiſſe vt laicos atque etiam ricos non conficientes, ſub panis ta tummodo ſpecie communicaret, in eo erraſſe, Anathema ſit. Secerd autem neceſſariò debet ſumere vtraque ſpecie: vt patet in capitu. co perimus. de conſecratio. diſtinct. 2. ſunt verba Gelaſij papæ, vbi dicitur ſe grande ſacrilegium conſecrare ſi

alte

alrera ſpecie tantùm. Præceptũ eſt igitur ſacerdotibus ꝙ communicent ſub vtraque ſpecie. Et videtur ꝙ ſit præceptum diuinum, quia aliàs non eſſet ſacramentum perfectum: quia nõ eſt perfecta refectio ſub vnica ſpecie, ſacramentum verò euchariſtiæ eſt quædam refectio.

QVAERITVR, an miniſter huius ſacramenti ſit ſacerdos? Reſp. ꝙ nõ eſt licitum dubitare de hoc. Patet in capit. firmiter. de ſumma Trinita. & fide catholica. Et in concilio Florenti. Et etiam patet ex vi ipſius nominis. ſacerdos enim dicitur à ſacrificando, ſed euchariſtia eſt ſacrificium: ergo ad ſolum ſacerdotem ſpectat. Item quia in lege veteri non pertinebat ad omnes offerre ſacrificia, ſed ſolùm ad ſacerdotes: & Abraham obtulit decimas Melchiſedech, quia erat Dei ſacerdos: ergo etiam in lege noua ſolis ſacerdotibus licet offerre ſanctum ſacrificium altaris. 88

An miniſter Euchariſtiæ ſit ſacerdos.

ris. Quando autem ordinati cum ep-
ſcopo conſecrant, ſi aliqui dicant fo-
mam conſerationis, antequàm epiſco-
pus, vel poſtquàm finiuit epiſcopus, ni-
hil faciũt, vt dicit Paluda. & Caietanu.
Nam intentio eorum eſt conſecra-
cum epiſcopo.

89 QVAERITVR, an miniſtra-
eucharistiã laicis ſpectet ad ſolum ſace-
dotem? Reſpond. quòd propria autor-
tate, & tãquam ex officio, ſpectat ad ſo-
lum ſacerdotem: vt habetur in capi. pe-
uenit. de conſecratione. diſtin. 2. vbi p-
niuntur ſacerdotes qui per alios mitte-
bant ſacramenta, & dicitur ꝙ ſolus ſa-
cerdos poteſt id facere. Tempore verò
quo populus cõmunicabat ſub vtraque
ſpecie, diaconi miniſtrabãt ſanguinem
nõ tñ corpus dñi. Quia in calice nõ tan-
gebatur corpus dñi immediatè, & ideò
ſanguinem miniſtrare poterant: nõ au-
tem corpus dñi, quia immediatè tangi-
tur. At in neceſsitate, ſcilicet ægrotante

An miniſtrare eucharisti. laicis, cõueniat ſacerdotibus.

presby-

presbytero, poteſt diacono cõmitti vt deferat corpus dñi. Ita dicit Palud. 4. d. 13. & S. Th. 4. d. 13. q. 1. art. 3. nec eſt du bitandũ de hoc. Et etiam ſine cõmiſsio ne poſſet diaconus in neceſsitate porta re euchariſtiam, vt ait S. Thom. non ta men ſubdiaconus, aut alij inferiores. Durã. dicit ſe vidiſſe, ꝙ diaconus cardi- nalis, Papa celebrante, dat euchariſtiam alijs clericis. Ipſe dubitat an id rectè fiat Sed certè nullum ſacrilegium ibi inter- uenit iudicio meo.

QVAERITVR, vtrũ malus ſacer 90
dos poſsit cõſecrare? Reſp. ſine quacun
que dubitatione ꝙ ſic. Na aliàs eccleſia
eſſet in magno periculo: delicta enim
quis intelligit? Et etiã populus eſſet in
periculo idolatrandi. Oppoſitum au-
tem fuit error Donatiſtarum, contra
quos multa dicit Auguſtinus in libro
de baptiſmo. 5. cap. 23. & cõtra Parme-
nianũ lib. 2. reſpõſione. 107. & in mul-
tis alijs locis dicit, Sacramentum Chri-
ſti

Malus ſacerdos, põt conſecrare.

ſti nulla peruerſitate hominis ſiue dan tis, ſiue recipiētis, violari: & Sacramen tum gratiæ dat Deus per malos, ipſa tñ gratia per ſe ipſum. Et contra Petil nũ, libr. 2. c. 30. Si quis verus ſacerdos dignus vult eſſe, induatur iuſtitia opo tet. Qui autē ſolo ſacramento ſacerdo eſt. i. ordinatus, ſicut fuit Caiphas pon fex, quãuis non ſit ſacerdos verus. i. bo nus ſeu dignus, verum eſt tamen quo dat. Idē dicit Chriſoſtomus ſuper Ioa nem, vbi ait, ꝙ ſicut per aſinam Balaa locutus eſt Deus, ſic per malos ſacerd tes ſacramenta præſtet. Et non eſt du bitandũ. Vide. 1. q. 1. c. quod quidam. & 24. q. 1. cap. audiuimus.

91 QVAERITVR, vtrùm miſſa ſa cerdotis mali tantum proſit alijs, ſicu miſſa boni. S. Tho. 3. p. q. 82. art. 6. dic quòd in miſſa duo ſunt conſideranda ſcilicet ipſum ſacramentum, & oratio nes quæ in ea dicuntur, ac oblatio ſa crificij. Quantum ad primum quod eſt

An miſſa mali ſacerdotis proſit tã tu ſicut miſſa boni.

principale, non minùs valet ſacerdotis mali miſſa, quàm miſſa boni ex opere operato. Orationes autem poſſunt dupliciter cõſiderari. Vno modo inquantum procedunt ab hac priuata perſona: & ex hac parte maioris efficaciæ ſunt orationes boni ſacerdotis, quàm orationes mali: quia licèt aliquando Deus audiat malos, tamen certum eſt quòd potiùs audit bonos. Alio modo poſſunt conſiderari prædictæ orationes tanquam procedentes à celebrante in perſona eccleſiæ: & quantum ad hoc tantam efficaciã habet oratio mali, ſicut oratio boni ſacerdotis, & econtra. Et idem dicendum eſt de horis canonicis, quæ ſi dicantur à miniſtro eccleſiæ, etiam in peccato mortali, proſunt, quia dicuntur in perſona eccleſiæ. Quoniam is, cui mittitur aliquid, non reſpicit per quê mittatur, ſed quis & quid mittat: nec S. Thom. Si enim quis mitteret ſeruum ad dandam eleemoſy-

moſynam, licèt ſeruus doleret, & repugnaret, nihilominus eleemoſyna valeret omnibus illis pro quibus offertur. Sic ſacerdos cùm ſit miniſter eccleſiæ miſſam celebrans, licèt peccet ipſe, prodeſt tamen alijs eius ſacrificium. Ex parte autem orationum, & ipſius oblationis, quò melior fuerit miniſter, eò magis accepta erit oblatio: faciliùs enim & ſæpiùs, & ampliùs impetrat bonus, quàm malus. Augeretur etiam valor miſſæ ex aſsiſtentia audientium: offerunt enim ſacrificium circunſtanter. Vnde in canone dicitur, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Vnde regulariter maioris valoris eſt miſſa dicta vbi ſunt multi, quàm vbi ſunt pauci.

92 Hæretici, ſchiſmatici, & degradati poſſunt conſecrare.

QVAERITVR, vtrum hæretici ſchiſmatici, & degradati poſsint conſecrare? Magiſt. ſent. 4. d. 13. de hæreticis & ſchiſmaticis tenet apertè, quòd quanuis tentent conſecrare nihil faciunt. Idem

dicit

dicit de degradatis. Sed in oppoſitum eſt tota cohors theologorum nemine excepto. Tenēt enim oēs, q̄ poſtquam quis eſt ſemel ordinatus, ſemper poteſt conſecrare veram euchariſtiam. Vnde Augu. lib. de corpore Chriſti, In myſterijs corporis & ſanguinis domini, nihil à bono magis, vel à malo minus perficitur. Item. 1. Corint. 11. Qui mãducat & bibit indignè, &c. Ecce Chriſtus permittit ſe contrectari & manducari à malis: ergo eadem ratione permittet ſe cõſecrari à malis. Item hæretici redeuntes ad eccleſiam non ordinantur de nouo, ergo antea poterãt cõſecrare. Magiſt. ſentent. deceptus eſt ex verbis Cyprian. qui ſine dubio fuit illius ſententiæ, quòd hæreticus nec poterat baptizare, nec ſacramēta conficere. Sed iam fuit illud in concilio reuocatum, ideò non eſt tenendum. Cũ igitur character ſacerdotalis, in quo fundatur poteſtas conſecrandi, ſit indelebilis, non eſt dubitan-

bitan-

bitandum quin & potestas ipsa sit indelebilis. Vtrùm autem tales missæ hæreticorum & excommunicatorum, valeant & prosint, cùm sint separati ab ecclesia, à qua valorem habent, dubitari posset. Verùm quoniam adhuc ministri sunt ecclesiæ, & vtuntur potestate sibi ab ecclesia tradita, licèt malè vtantur ea, probabilius est ꝙ valent & prosunt alijs. Nec obstat ca. quidam. 1. q. 1. quia non loquitur assertiuè, sed inquisitiuè, vt ait S. Thom. 3. par. quæst. 82. articu. 8. ad. 1.

93 QVAERITVR, an liceat audire missam & suscipere communionē à sacerdoticis hæreticis, schismaticis, & excommunicatis. S. Th. 3. p. q. 82. arti. 6. dicit quòd à publicè suspēsis ab ecclesia non licet, quia ecclesia prohibet, vt à concubinarijs publicis, & à simoniacis: a alijs autem licitum est. Sed nota, quòd hæc determinatio S. Thom. vera est secundum ius antiquum. 23. d. ca. nullus

Missam heretici, schismatici, & degradati, an liceat audire.

vt

vbi dicitur. Nullus audiat miſſam ſacerdotis, quem indubitanter nouit habere concubinam. Et in capit. ſequenti hoc idem mandatur ſub excommunicatione. Et Gregorius.4. Dialogorum, & habetur.24.q.2.capi. cœpit. dicit de puero Hermigildo filio Regis Hiſpaniæ, ꝙ cùm ægrotaret, mandauit ei pater, vt ſumeret euchariſtiam ab epiſcopo Arriano, qui noluit, propter quod à patre interfectus eſt, & à Gregorio martyr reputatur. Sed nunc non videtur ſtandum in illo iure antiquo, quia in concilio Conſtantienſi determinatum eſt, quòd non tenemur vitare excõmunicatos, niſi ſint nominatim excõmunicati, vel manifeſtè percuſſores clericorum. Idem habetur in concilio Baſilien. ſi aliquam habet autoritatem & in capitul. cùm non ab homine de ſententia excommunicationis. dicitur quod occultè excommunicatus nõ debet publicè vitari. Admonet tamen

Palud. quòd quando ego scio sacerdotem esse pecatorem, licèt sciam occulte, bene facerem, sine scandalo aliorum me separans ab auditione missę eius, & à receptione sacramentorum: vt illi incutiam ruborem, & moueam illum ad pœnitentiam. Et sic intelliguntur ca. nostra. & capit, nisi. de clerico excommunicato.

94 An liceat sacerdoti nūquā celebrare.

QVAERITVR, vtrū liceat sacerdoti omnino abstinere à celebratione. S. Thom. 3. p. q. 82. arti. 10. tenet ꝙ omnino tenetur sacerdos celebrare. Probatur ex verbis Ambr. iā adductis. graue (inquit) est ꝙ ad mensam tuam mundo corde: & innocētibus manibus non venimus: sed grauius, si dum pœnam metuimus, sacrificia non reddamus. Et 2. Corinth. 6. Hortatur vos ne in vacuū gratiam Dei recipiatis. Ideo Maior & Durand. dicunt ꝙ sine graui peccato sacerdos nō potest abstinere à celebratione. Facit etiam ad hoc capitu. dolentes

lentes. de celeb. miſſa. paragrapho ſunt, vbi reprehenduntur qui ſolũ quater in anno celebrãt, Et. 2. Machab. 4. contra quoſdã ſacerdotes dicitur, ꝙ iã non circa altaris officia dediti erant. Item Luc' 22. Chriſtus dixit, Hoc facite in meam cõmemorationem, ergo. Sed vtrum ſit mortale omnino abſtinere à celebratione? Caie. 3. p. q. 82. artic. 10. tenet ꝙ nõ eſt mortale. Et idem videtur ſentire S. Tho. cùm nõ exprimat hoc eſſe mortale. Et ita tenendum eſt, quia nullum eſt præceptum iuris diuini, aut humani de hoc. Sed quoniam defraudat eccleſiam ſuo ſacrificio ad quod offerendũ eſt conſtitutus miniſter, non excuſatur à peccato. Et aliqui canoniſtæ dicunt ꝙ peccat mortaliter, propter verbum Ambroſij dicentis, Ego quia quotidie pecco, quotidie debeo accipere medicinã. Quod habetur de conſecrat. d. 2. capit ſi quotieſcunque. ſed dictum eſt de conſilio. Licèt in vitis patrum lega-

tur de quodam viro ſancto, quòd or
natus in ſacerdotem, nunquam po
celebrauit. Credendum eſt, quòd
beret aliquod impedimentum occ
tum, vel quòd hoc faciebat ex reue
tione ſpiritus ſancti.

95 QVAERITVR, quod ſit opp
tunũ tẽpus ad celebrãdũ? Reſp. S. Th
quòd illud in quo eccleſia cõſueuit c
lebrare. Omnia enim alia variantur
men in omnibus optimus canon eſt
cleſiæ conſuetudo. Et de hac eccleſ
cõſuetudine ponit S. Tho. duas con
ſiones. Prima, oportet ꝙ in eccleſia
quotidie hoc ſacrificium. Patet, qui
Chriſto vocatur panis quotidianus,
intelligitur de Euchariſtia ſecundũ
Auguſtinũ. Item, quia ſi in ciuitate a
qua nõ celebraretur aliquo die, repu
retur graue ſcandalũ. Secunda, miſſa
lennis in eccleſia cõuenienter celebr
tur ab hora diei tertia vſque ad nonam
quia tũc eſt Chriſtus crucifixus. Quo

Celebrã di tẽpus opportu nũ quod ſit.

au

autem obliget præceptum illud de quo in prima propoſitione. Canoniſtæ dicunt, ꝙ eccleſias collegiatas & rectores earũ: ita ꝙ ſi eorum defectu non dicatur aliquo die miſſa, peccaret mortaliter. Ego credo, quòd non eſt peccatũ mortale. Panormit. in capi. cũ creatura. de celebratione miſſarum dicit, quòd in eccleſijs collegiatis debent quotidie celebrari duæ miſſæ, vna de die, alia de defunctis. Nõ oportet tamẽ, ꝙ ſit de requiẽ: eſſet enim malè factum, ſi in die paſchatis & ſolennitatum magnarum diceretur miſſa de requiem. Et in hoc corrigendus eſt error mulierculrũ, & indiſcreta laicorũ douotio: cùm iubent dicere miſſas de ſanctis qui non ſunt in cælo, vel de requiẽ. In feſtiuitatibus dicatis miſſam de die. Sylueſter ait, ꝙ id quod Panor. dicit de miſſà de requiem iam eſt conſuetudine abrogatum. Nec eſt rationabile, quòd in die celebri dicatur miſſa de defunctis. Nec hoc po-

teſt haberi ex prædicto capit.

96 QVAERITVR, an oporteat
ries in die celebrare? Reſpon. ꝙ in c
conſuluiſti. & in capit. referente. de
leb. miſſarū, prohibitum eſt pluries
die celebrare, & communicare. Sed
nunt plures exceptiones, quas ego n
intelligo. Prima eſt in Natiuitate d
in qua ter celebramus, & hæc clara e
Secūdam ponit Sylueſter, ſi defunct
ſit preſens poſt miſſam celebratā. T
forſan hæc erat cōſuetudo: quæ iam
detur abrogata. Si tamē aliquis hoc
ceret non reputaretur peccare mor
ter. Tertia, quando eſt neceſſariū inf
mis viaticum porrigere, & aliter hab
non poteſt. Quarta, pro neceſsitate p
regrinorū, ſi peregrinantes in die feſt
venerūt poſt miſſam celebratam. Eg
miror certè, & puto ꝙ antè non erat
arcta cōſuetudo ſemel tm̄ celebrādi,
cut nūc eſt. Quinta, pro neceſsitate n
ptiarū, ſcilicet qn̄ tempus laberet, & n
poſſen

An liceat pluries in die celebrare.

poſſent nuptiæ differri. Has exceptiones ponit etiam Raymun. Sexta ſecundùm Hoſtiēſem qñ quis habet duas eccleſias, etiam ſi vna ſit in titulo, & alia cõmendata: & hęc cõſuetudo adhuc durat. Septima quando eodē die occurrunt duæ miſſæ, vna de die, alia de ieiunio. Hos.7.caſus ponit Palu.4. d. 12. q. 2.art.4.vbi notat, ꝙ omnes p̄dictę exceptiões intelliguntur, qñ ſacerdos eſt ieiunus, aliàs in nulla neceſsitate licet. Panor.in.d.ca.cõſuluiſti.ponit.8.exceptiones.7.prędictas, & octauam, ſi ſupueniat aliqua magna perſona vt epiſcopus & ſimiles, quos non licet tranſire ſine auditione miſſę. Et idem eſt (ait Syluester de quolibet alio in die feſto, qm̃ habet p̄ceptum audiendi miſſam. Glo. in.dict.c.ponit nonam.ſ.ſi eſſet conſuetum ī aliqua eccleſia dicere duas miſſas & nõ ſit niſi vnus ſacerdos idoneus ad celebrâdum. Addunt aliqui decimã, ꝓpter paupertatē eccleſiarum, & raritatē

ſacerdotum. Et hoc habetur in iure:
q. 1. ca. clericus. in fine. & de electi
cap. dudũ. &. 10. q. 3. c. vnico. & ita
bet etiã conſuetudo. Syluester addit
decimã, ſcilicet, quandocũque occu
neceſsitas arbitrio boni viri. Prrobat
dict. capit. conſuluiſti. vbi dicitur, qu
propter neceſsitatem licet pluries ce
brare. Ex quo dicto eliciunt doctor
hos caſus. Notat Palu. ꝙ non licet ſac
doti pluries in die quàm bis celebra
Pro quacũque autẽ neceſsitate nem
licet bis communicare in die eodem.

97 ¶ De tempore autem miſſæ ſolennis
T h. dicit quòd eſt ab hora tertia vſq
ad nonam. i, vſque ad horam tertiam
poſt meridiem. Et quòd hæc conſuet
dò fuerit in eccleſia, patet ex capi. ſolet
de conſecra. diſtin. 1. & licèt non inue
niamus præceptum de conſuetudine
quam nunc habemus quæ reuocet præ
cedentẽ, nihilominus virtualiter inue
nitur in hoc, ꝙ Papa concedit aliquibus

Quo tempore miſſa ſit celebranda.

priui

priuilegia, ꝙ poſsint dicere miſſã poſt meridiẽ. De nocte verò nõ eſt celebrandum: quia eſt iure cautũ, prȩterq̃ in nocte reſurrectionis, cũ in prȩfatione dicatur, Qui hanc ſacratiſsimã noctẽ. &c. Sed hȩc conſuetudo abrogata eſt. In aurora autẽ põt celebrari, nec oportet expectare pũctualiter: ſed ſeruetꝰ in hoc conſuetudo. Credo tñ, ꝙ in caſibus propter quos licet bis celebrare, licebit etiã noctu celebrare: vt propter infirmos. vide Gabrie. in canone. lect. 14. &. 15.

QVAERITVR, de loco in quo miſſa eſt celebrãda? S. Th. 3. p. q. 83. art. 3. dicit ꝙ non põt celebrari niſi in locis ab epiſcopo cõſecratis. Hoc probat cõſuetudine eccleſiȩ. Vide Gabrielem in canone. lec. 13. &. 14. & omnia illa quȩ veniunt in vſum ſacramenti, oportet ꝙ ſint ſacra, vt in. c. nullus presbyter. &. c. ſi quis. de conſe. d. 1. Notandũ tñ eſt, ꝙ quãuis offerãtur priuilegia celebrãdi in domibus, maxima tñ irreuerẽtia eſt di- 98 Quo loco miſſa dicenda ſit.

cere miſſam vbi dormiunt vir & vxo
cũ etiã ſi in eccleſia dormierint, poll
tur. Clericis conuenit iſtas deuotion
corrigere. Et papa non cõcedit talia
uilegia niſi cũ reuerentia, & in loco h
neſto. Vnde in Cõci. Tridẽ. ſeſs. 2. in
creto de obſeruandis & euitãdis in ce
bratione miſſæ præcipitur ordinarijs
corum inter cętera, ne patiãtur priua
in domibus, atque oĩno extra eccle
& ad diuinum tãtum cultum dedica
oratoria, ab eiſdẽ ordinarijs deſigna
& viſitanda, ſctm̃ hoc ſacrificiũ, à ſecu
ribus & regularibus q̃buſcũque pera
De alijs ritibus ſi aliquid intermitta
non ex malitia ſed ex negligentia qu
cunque, non exiſtimetur mortale. Vn-
de ſi quiſpiam celebrans obliuiſcatᷣ ma-
nipuli, vel non aduertat ſe ſine ara cele-
brare, non timeat peccatum mortale.

99 QVAERITVR, quomodo vio-
letur eccleſia, & qualiter recõciliari de-
bet? Reſpond. quòd eccleſia viola-

Eccleſia quomodo viole

cur

tur in duobus caſibus : vt habetur de conſec.eccleſiæ.c.vltimo. &. c. ſignifi-caſti.de adulter. Primus eſt, ſi in eccleſia effundatur ſanguis:& hoc intelligendum eſt graui effuſiõe, nã ſi pugno percuſſero aliquem in naribus, & fluat ſanguis, etiã in magna quãtitate, non polluitur eccleſia. Et etiam intelligitur de effuſione iniuſta. Si enim quiſpiam ſe defendendo occidat aliquem in eccleſia, non propterea violatur. Nec oportet quòd ſanguis cadat intra eccleſiam, ad hoc vt violetur: ſufficit enim ꝙ ibi effundatur, etiam ſi percuſſus grauiter, exeat ſtatim ab eccleſia antequam ſanguis cadat. Secundus caſus eſt emiſſio ſeminis, non ſolùm illicita, ſed etiã licita viri cum vxore. Pollutio tamen in ſomnis quacunque ex cauſa proueniat, non violat eccleſiam. Additur tertius caſus, ſcilicet ſi in eccleſia ſepeliatur excommunicatus denunciatus. De modo autem quo eccleſia debet recon- tur, & reconcilietur.

reconciliari poſtquã fuerit polluta, d
ſtinguendũ eſt, quia vel eccleſia eſt cõ
ſecrata, aut dedicata: & ſic à ſolo epiſ
po eſt recõcilianda, niſi ipſe vel Papa
teri cõmiſerit: poteſt autẽ cõmitti cle
co cuicunque. Si aũt eccleſia non fue
cõſecrata, ſed ſolũ benedicta, põt à ſim
plici ſacerdote reconciliari. Si autẽ ep
ſcopus ægrotaret, & nolit cõmittere
teri, quòd eã recõciliet, põt dare licẽ
quòd celebrẽtur ibi diuina quouſq; ip
ſe poſsit eã conſecrare. Si autẽ vitia ſi
occulta, nõ opus eſt eccleſiã reconcil
ri, vt tenet beatus Antoninus, Guill
& Hoſtiẽſis. Si autẽ ſint publica, recõ
lietur. Fiunt autẽ publica vel ex conf
ſione eorũ qui fecerunt, vel ex euiden
tia facti. Ratio Ioan. Andre. eſt, quia ec
cleſia non iudicat de occultis.

100 Miſſa qñ cœpit celebrari.

QVAERITVR, quando cœpit
miſſa celebrari cũ iſtis ritibus nũc cõſue
tis? Reſp. ꝙ ritus eccleſiæ in celebratio
ne miſſarũ eſt antiquiſsimus. Nã Dio
nyſius

nyſius qui fuit tēpore Pauli, ponit pauciores cæremonias & ritus in libro de eccleſiaſtica Hierarchia. Itē in ca. Iacobus. de cōſe. d. 1. dicitur. Iacobus frater dñi cui primò credita eſt Hieroſolymitana eccleſia, & Baſilius epiſcopus Cæſarienſis (cus claritas per totū orbē refulſit) in ſcripturis addiderūt nobis miſſæ celebrationē. Glo. 1. ordinē miſſæ celebrandę. Iſidorus libro. 1. de officio & Dionyſius dicunt ꝙ beatus Petrus fuit primus qui hoc fecit. Hæc non inter ſe diſſonãt, potuit eñ eſſe ꝙ alij facerent autoritate Petri qui erat pontifex. Auguſt. ad Ianuarij inquiſitionē tractãs illa verba Pauli, cætera cū venero diſponã. 1. Corint. 11. loquens quomodo ſit accedendū ad euchariſtiã, dicit, Paulus apud Corinthios ordinauit ritū illum qui ordinatus fuit Romæ à Petro, & Iacobo. Hugo de ſanct. Victo. lib. 2. de ſacramētis. p. 8. c. vlt. dicit ꝙ primus omniū celebrauit Petrus Antiochiæ: quod poteſt

poteſt intelligi de celebratione cum d
gnitate põtificali. Et ita intelligit bea
tus Anto. 1.p.ti.6.c.8. & de his ſit ſatis

101 Miſſæ defectibus quomodo occurrendum.

QVAERITVR, de aliquibus de
fectibus cõtingentibus in miſſa, quomo
do ſit eis occurrendũ? Quid ſi ſacerdos
celebrans moriatur? vel ſi impediatur
aliqua infirmitate? Dico, ꝙ ſi hoc con
tingit ante conſecrationẽ, non oporte
ꝙ miſſa perficiatur: ſi aũt poſt conſecra
tionem, debet miſſa per alium perfic
Sed quid faciet celebrans ſi meminer
ſe eſſe in mortali, aut in excommunica
tione? Reſp. ſanctus Antoninus ꝙ ſi e
ante conſecrationẽ, dimittat miſſam, ſi
nõ ſit nota infamiæ vel ſcandali: at ſi ſe
quatur ſcãdalũ, non dimittat. Sed vide
de hoc ſupra. q.79. Sin verò ſit poſt cõ
ſecrationem, omnino nõ debet dimitte
re. Idem dicendũ eſt de eo q meminit
ſe non eſſe ieiunum. Quid quando ara
nea, muſca, vel aliud animal veneno
ſum cedidit in calicem? Rñdeo, ſi eſt
ante

ante cõſecrationem, tollat animal & vinum, & mittat aliud de nouo. Si poſt conſecrationem, accipiat aĩal abluat & comburat, & ablutio & cineres mittantur in piſcinã: & ſumat ſanguinem. Si aũt ſit venenũ ĩ calice, non bibat, ſed ſeruet in calice vel in vaſe apto inter reliquias: & ponat aliud vinum & iterum cõſecret ſolum vinum, ſi nõdum ſumpſerit hoſtiã. Si verò ſumpſerit hoſtiã, reincipiat à cõſecratiõe hoſtię Idẽ faciat ſi poſt ſumptionẽ hoſtię deprehenderit nihil fuiſſe in calice, vel fuiſſe ſolam aquã, reincipiat à conſecratione hoſtię. Quãuis ſi iã ſumpſerit aquã, dubitet Palude an debeat calicem conſecrare. Si autem dubitat an dixerit verba conſecrationis, dicat iterum ſecundùm Scotum, Si ſanguis fundatur totus, ponat aliud vinum & conſecret: & ſi cecidit ſuper tabulam, lambatur, & radatur, & mittatur in piſcinam. Si ſuper mappam: & poteſt fieri mundè, ſumat,

vel comburatur mappa, vel ſufficiēter lauetur, Regula aūt generalis eſt quod quotieſcūque ſcitur vbi ſunt ſpecies ſacramēti non debēt cōburi, ſed ſeruari, Reliqua vide apud ſanctum Thomam. Hæc ſufficiāt đ ſacramēto euchariſtiæ,

102 QVAERITVR, an miſſa ſit ſacrificium. Reſpondetur, ꝙ vnanimis ſententia omniū ſanctorum & doctorum eſt & fuit, miſſam eſſe ſacrificiū, & ita fide firma tenendum eſt, & oppoſita aſſertio eſt hæretica. Eccleſia eñ catholica à principio ſui ortus ſenſit, tenuit, cōfeſſa eſt docuit & prædicauit, atque executione & vſu monſtrauit miſſam eſſe ſacrificium. Vt enim dicitur Pſalm. 109. & ad Hebræ. 6. Chriſtus eſt ſacesdos in æternum ſecūdum ordinem Melchiſedech. qui vt dicitur Geñ. 14. in pane & vino ſacrificiū obtulit. Ergo ſi in cœna conſecrans panem & vinum Chriſtus non ſacrificauit verè & realiter, nunquam fuit ſacerdos

ſecun-

ſecundum ordinem Melchiſedech. Itẽ pro ſtatu nouæ legis, quæ vſque in finem ſeculi eſt duratura, neceſſe eſt dare ſacrificium aliquod viſibile ipſi proprium & peculiare, nam teſte Paulo ad Hebræ. 7. Lex & ſacerdotium & ſacrificium, ita connexa ſunt ad inuicem, vt nullum ab alio ſeparari poſsit. Item ſacrificium agni paſchalis fuit figura agni Chriſti exiſtentis ſub ſpeciebus panis & vini. Nam ille agnus repræſentabat Chriſtum ſub ratione comeſtibilis. Item Propheta Daniel qui cap. 9. dixerat ſacrificium veteris legis fore in æternum ceſſaturum, poſteà cap. 12. de ſacrificio legis nouæ loquens dixit, iuge ſacrificium (ſcilicet, legis nouæ, quod ſub pane & vino celebratur) ceſſaturum per tres annos cum dimidio. &c. Præterea Malachiæ. 1. reprobans dominus ſacrificia legis Iudaicæ dicit. Munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis vſque ad occa

ſum magnum eſt nomẽ meũ in gentibus. Et in omni loco ſacrificatur & offertur nomine meo oblatio mũda, quia magnũ eſt nomen meũ in gentibus. vides ꝙ loquitur de eccleſia tẽpore legis euãgelicæ, quæ gẽtium eccleſia eſt. Hæc igitur veritas ꝙ miſſa ſit ſacrificiũ diffinita eſt in Conci. 12. Toletano. ca. 5. & in concilio Lateranẽ. ſub Innocentio. 3. can. 1. ſuorum Decretorum: & in Synodo generali. cap. 32. ſuorum decretorum. Et in concilio Epheſino in epiſtola ad Neſtorium miſſa, & tandem in concil. Tridentino. Seſsio. 22. capit. 1. 2. 3. & 4. & cano. 1. 3. 4. &c. verba primi canonis hæc ſunt. Siquis dixerit in miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quòd offerri non ſit aliud quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.

103 OBTVLIT autem ſeipſum Chriſtus in vltima cœna ſub ſpeciebus panis & vini Deo patri pro nobis. Et ita

de fide

de fide eſt tenendũ. nam Lucæ. 22. dicitur, & accepto pane gratias egit, & fregit & dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meũ quod pro vobis datur, hoc facite in meã cõmemorationẽ. Dat in q̃ nunc in præſenti, & hæc nr̃a aſſertio diffinit in prædicto cõcil. ſeſs. 22. cap. 1. Ex qua habes ꝙ Chr̃s ꝓ nobis bis ſeipſum obtulit in ſacrificiũ. Primò incruentè ſub ſpeciebus panis & vini. Secundò cruentè ſub propria ſpecie veræ carnis humanę in ara crucis. Eadem igit̃ res. ſ. corpus & ſanguis Chriſti & Chriſtus totus bis oblata eſt pro nobis, ſemel in cruce. Secundò in cœna ſub ſpeciebus panis & vini. Et hæc quotidie repetitur per ſacerdotes, miſſã celebrãtes. Quod item patet ex diffinitiõe cõcil. Trident. capi. 2. vbi ſupra. Et quia Chriſtus in vltima cœna miſſam celebrans ſeipſum obtulit pro viuis & mortuis, ideo miſſa offerri põt pro peccatis viuorũ & mortuorum, & pro alijs neceſsitatibus. Eſt

enim verũ ſacrificiũ & vnicum eccleſię chr̃ianę. & ita firma fide tenendum eſt. Sic em̃ diſtinit̃ in prædicto concil. Triden. vbi ſupra cano. 3. cuius verba ſunt. Si quis dixerit miſſæ ſacrificiũ tantùm eſſe laudis & gratiarũ actionis, aut nudam commemorationẽ ſacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & alijs neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.

Sequitur Sacramentum Pœnitentiæ.

De ſacramento Pœnitẽtiæ tractat Magiſter Sententiarum. 4. diſ. 14. & S. Thomas. 3. p. quæſt. 84.

104 *Pœnitentia eſt ſacramẽtũ.* QVAERITVR, vtrùm pœnitentia ſit ſacramentum, & vtrùm poſt baptiſmum ſit aliquod

quod ſignum viſibile inſtitutum ad remiſsionem peccatorum actualium? Reſpondeo, quòd ſic, & eſt concluſio de fide: vt patet Ioannis. 10. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Et Matthæi. 18. Quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. Ex his locis patet, quòd eſt aliqua autoritas & iuriſdictio inter homines ad remittendum peccata. Et hæc iuriſdictio inter homines exercetur per actũ exteriorem: ergo pœnitentia eſt ſignũ ſenſibile inſtitutum à Deo in remiſsionem peccatorum, ac proinde eſt ſacramentum. Idem patet autoritate eccleſiæ in capit. ad abolendam. extra de hæreticis. Et expreſsè inter ſacramenta numeratur confeſsio peccatorum. Et inter hæreticos numerantur qui aliter ſentiunt de ſacramentis quàm eccleſia Romana ſentit. Et in concil. Florentino ſub Eugenio. 4. numeratur pœnitentia inter ſeptem ſacramenta: er-

go. Idem diffinitur in concil. Tridenti. sessi. 14. de pœnitentiæ sacramento cano. 1. cuius verba sunt. Siquis dixerit in catholica ecclesia pœnitētiam nō esse verè & propriè sacramētum pro fidelibus quoties post baptismū in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo dño nostro institutū, anathema sit.

ET quòd sacramentum pœnitētiæ, & sacramentum baptismi non sint vnū sacramentum, sed duo, firma fide tenendum est. Sic enim dicitur in prædicto concilio, & sessione capite. 2. & cano. item. 2. Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum, pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitētiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit. Vocatur autem sacramentum pœnitentiæ, quanuis contineat contritionem, satisfactionem, & confessionem: quia sumpsit nomen ab vltimo:

timo: vt dicit S. Tho. 4. d. 16. q. 1. arti. 1. sicut sæpè vsitatum est. Nam licet homo sit animal, corpus & substantia, non denominatur nisi ab vltimo, quod est homo. Sic etiam sacerdos quamuis sit diaconus & subdiaconus, nominatur sacerdos ab vltimo. Quia verò vltima pars pœnitentiæ, quæ est satisfactio, est pœnalis, imò omnia in hoc sacramento sunt pœnalia: ideo vocatum est sacramentum pœnitentiæ totum aggregatum ex illis partibus, tam actus pœnitentis, quam absoluentis.

105 Materia sacramẽti pœnitentiæ.

QVAERITVR, quæ sit materia huius sacramẽti? Resp. ꝙ materia remota sunt peccata pœnitentis. Vnde cùm Beatissima virgo nullum prorsus peccatũ habuerit, falsissimum est quod quidã fingũt, scilicet, ꝙ cõfitebatur. B. Ioanni Euangelistæ. Materia verò propinqua, sunt tres actus pœnitentis, scilicet, Cõtritio, Confessio, & Satisfactio. Ita enim diffinitũ est in concil. Floren.

ſub Eugenio. 4. Et idem etiam diffi-
tur in Concilio Tridentino. Seſsio. 14.
de pœnitentiæ ſacramēto. Cano. 4. h.
verbis. Si quis negauerit ad integram
& perfectam peccatorum remiſsionem
requiri tres actus pœnitētiæ, quaſi ma-
teriam ſacramenti pœnitentiæ, videli-
cet, contritionem, confeſsionem, & ſa-
tisfactionem, aut dixerit duas tantū e-
ſſe pœnitentiæ partes, terrores, ſcilicet,
incuſſos conſcientiæ agnito pctō, & fi-
dem conceptam, ex Euangelio vel ab-
ſolutione qua credit quis ſibi per Chri-
ſtum remiſſa peccata, anathema ſit.

106 Forma ſacramenti pœnitentiæ. QVAERITVR, quæ ſit forma
huius ſacramēti? S. Th. 3. p. q. 84. arti. 3.
dicit ꝙ forma vera ſacramenti pœni-
tentiæ eſt, Ego te abſoluo. Sicut enim
Marci vltimo, & Matthæi vltimo dñs
loquens de baptiſmo dixit, Baptizan-
tes eos in nomine Patris &. Filij & Spi-
ritus ſancti: non dixit hæc ſit forma ba-
ptiſmi. Ego te baptizo (& tamen hære-
tici

tici Vuiclephistæ dicunt illam esse formam baptismi) sic de pœnitentia dicitur Matthæi. 18. Quodcunque solueris super terrã, ergo hæc erit forma pœnitentiæ, ego te absoluo. Itẽ. 2. Corint. 2. Ego quod donaui si quod donaui, propter vos in persona Christi: ergo sicut Paulus dicit se donasse, sic debet & sacerdos dicere, ego te absoluo. Item vt ait Sanctus Tho opusculo. 22. Non est parui momenti, quòd ecclesia canit. Iam bone pastor Petre Clemens accipe vota precantum, & peccati vincula resolue tibi potestate tradita: ac proinde non est blasphemia, vt putant isti hæretici, quòd sacerdos dicat, Ego te absoluo. Item in cõcilio Floren. sub Euge. 4. expresse determinatur hanc esse formam pœnitẽtiæ, scilicet. Ego te absoluo, & expressiùs in Concilio Tridenti. Sessio. 14. Cano. 3. cuius verba vide infra quæstio. 144. & . 181. Hæc igitur est forma conueniens & necessaria. Et li-

 cèt

cèt permittātur alia vèrba, omnia sunt de cōgruitate sicut etiā crucis signum. Etsi dicatur in ca. nunquid. de consecratione. d. . . Sacramēta cruce perficiūtur sed non loquitur de omnibus sacramentis. Manuum impositio dicit Paluda. ꝙ est de congruitate. Sed sanct. Tho. ait ꝙ non debet fieri. Ponatur autem à capite separatè. Signat eñ copiosum munus gratiæ conferri, sicut in sacramento confirmationis.

107 QVAERITVR, vtrū pœnitētia sit remediū sufficiens contra peccata? Respon. ꝙ sic. Patet ex illo Ezechie. 18 Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, vita viuet & non morietur: omniū iniquitatū eius quas operatus est, non recordabor. Et idē dicit. c. 33. & Sapiē. 11. Dissimulas peccata hominum propter pœnitentia Et Matth. 3. pœnitentiam agite & appropinquabit regnū cœlorum. Idem dicitur Matt. 4. & Lucæ. 15. Gaudium

Pœnitentia an sufficiens remedium contra peccata.

dium

dium eſt angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Et. 2. Corinth. 7. Quæ enim ſecundũ Deum triſtitia eſt, ſalutem operatur. Luc. 17. Si pœnitentiam egerit dimitte illi. Et ſunt in vtroque teſtamento infinita teſtimonia. Et ſi obijcias illud Hebræo. 6. Impoſsibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. rurſus renouari ad pœnitentiam. Dico cũ S. Tho. 3. p. q. 84. art. 10. ad. 1. & cũ Chryſoſto. & omnibus ſanctis doctoribus, quòd ibi negat Paulus, non pœnitentiam, ſed renouationem per baptiſmum ſecundò acceptum: quia baptiſmus nõ eſt iterabilis. Peccatum verò in ſpiritũ ſanctũ, ſi ſit finalis impœnitentia. i. peccatũ cum quo homo moritur ſine hoc ꝙ egerit pœnitentiam de eo, eſt irremiſsibile. Alia autem peccata in ſpiritum ſanctum dicuntur irremiſsibilia, quia difficilè remittuntur, & raro Deus tales cõuertet, & ſunt in magno periculo. Sed tamẽ ſi pœnitẽtiã egerint

remiſ-

remiſsionem ſine dubio conſequētur.

108 QVAERITVR, an pœnitētia ſit remediū neceſſariū ad ſalutem poſt lapſum in peccatū? Reſp. q̃ ſic. Nam in ſacris literis vbicunq; dominus hortatur ad veniam petendam, non dat aliud remedium niſi pœnitentiam, ergo. Et hoc adeò verum eſt, quòd etiam requiritur pœnitētia de peccatis commiſsis ante baptiſmum, adulti enim qui baptizantur neceſſe eſt, quòd doleant de peccatis: iuxta illud Actuum. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum. Et Auguſtinus libro de pœnitentia ait, Omnis qui iam ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, cùm ad ſacramentum fidelium accedit, niſi eum veteris vitæ pœniteat, nouam non poteſt inchoare quod & habetur de conſecra. diſt. 4. capit. omnis qui. Ab hac autem pœnitentia cùm baptizantur ſoli paruuli ſunt immunes. De venialibus autem non eſt neceſſaria pœnitentia,

Pœnitentia eſt neceſſaria ad ſalutē poſt peccatum.

tia,

tia, quia per dilectionem Dei, & multa alia remitti poſſunt. Si verò peccator præueniatur aliquo periculo maris, vel latronum, vel alicuius alterius, pœnitentia eius erit, quòd ſaciat tunc quicquid poſsit. Dicat Miſerere mei Deus, vel aliquid ſimile: quicquid eñ poſsit etiam in vltimo ſtatu facere hoc animo vt cõcilietur Deus & placatus reddatur, pœnitentia eſt. Talis nanq; non eſt extra ſalutis ſtatum.

QVAERITVR, vtrùm per pœnitentiam remittatur pœna debita peccatis? Reſpond. ꝙ per pœnitentiã ſemper remittitur aliqua pars reatus & fit minor: non tamen oportet ꝙ tollatur tota obligatio ad pœnam. Nam omnes fatẽtur ꝙ poſtquam pœnituit aliquis, imponenda eſt aliqua pœnitentia. Nec hoc infert præiudicium aliquod diuinę miſericordiæ, ꝙ poſt dimiſſam culpam quærat pœnam ab amico: qui eñ peccat, lædit iuſtitiam ſimul & amicitiã. Iu- 95 Pœnitentia remittit pœnã peccatorum.

re

re autẽ amicitiæ teneor ego dum aduer-sarius petit veniã, & eſt paratus facere quidquid voluerim, recipere eum ad priſtinã amicitiam. Nec debeo dicere, nõ parcam, aut non erit amicus donec reddat domum quam combuſsit. Sed nihilominus ſalua amicitia pòſſum repetere domũ meam. Et rex poteſt amico ſuo remittere homicidium, tamen omnino ſalua amicitia cogit eum ſatisfacere alteri pro iniuria. Sic Deus omnino poſtquàm aliquis petit veniam, redit in amicitiam, & nihilominus exigit iuſtitiam. Nota vnum locum ex quo expreſsè conſtat, quòd Deus punit hominem poſtquam factus eſt ei amicus. 2. Reg. 12. Poſtquam dimiſit Deus peccatum Dauid, dicitur, Veruntamen filius qui natus eſt tibi morietur, &c.

110 Venialia peccata quõ remittãtur

QVAERITVR, quomodo remittantur peccata venialia? Reſp. 1. ꝙ quicquid ſufficit ad remittendum mortale, ſufficit etiam ad remittẽdum veniale.

le. Eſt clarum, quia quicquid eſt in veniali, eſt in mortali, & aliquid amplius, ergo. Secundò dico, ꝙ ad remiſsionem venialis ſufficit dilectio Dei. Nã cùm Dei dilectio ſit ei velle placere: & qui vult ei placere, vult virtualiter non diſplicere: iã ibi interuenit diſplicentia interpretatiua quæ ſufficit ad remiſsionẽ venialium: vt ait S. Thom. 3.p.quæſt. 87.artic. 1. Nã apud homines ſufficit ad remiſsione leuis offenſæ dicere ei quẽ offendit, ego poſt hac volo tibi in omnibus placere: ergo multò magis apud Deum qui pronior eſt ad miſerendum. Itẽ probat hoc Scotus, plùs placet Deo dilectio iſta, quã diſpliceat peccatũ veniale: ſed homines etiam mali ſi offendantur leui offenſa, & præſtẽtur eis magna beneficia, non exigunt ſatisfactionẽ leuis iniuriæ, etiam ſi non petatur venia: ergo dilectio Dei ſufficit ad remiſſionẽ peccatorum venialium. Per dilectionẽ verò Dei, aut per diſplicentiam

gene-

generalẽ, dimittuntur omnia illa peccata venialia ad quæ homo nõ est actualiter affectus, vel virtualiter. Si vero quis est affectus vni peccato veniali, & dolet de alio, remittitͬ peccatũ de quo dolet manente alio. Et qm̃ illa potestate ecclesię tradita in illis verbis. Quorum remiseritis peccata: non solum tradita est facultas remittendi peccata per pœnitentiam quæ est sacramentum: sed etiam multis alijs modis, cùm ad remissionem venialium non sint necessaria sacramenta: relicta est potestas ecclesiæ ad instituenda media ad eorũ remissionem. Et ista sunt oratio dominica, bñdictio episcopi, tunsio pectoris, aqua benedicta, & similia, quæ sine quocunque alio motu bono sufficiunt remittere venialia, per hoc quòd fiunt, quia sunt ab ecclesia instituta in remedium venialium. De aqua benedicta Alexander, quintus à Petro dicit, & habetur de consecr. d. 3. c. aquam. A quam

ſale conſperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur. Quod etiam omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandauimus. Nam ſi ſanguis vitulæ aſperſus ſanctificabat, multò magis aqua ſale aſperſa, & diuinis precibus conſecrata populum ſanctificat. De oratione dominica habetur de pœnitentia. diſ. 3. c. de quotidianis. Et ex Chryſoſto. dicentes. de quotidianis leuibuſque peccatis quotidiana oratio fidelium ſufficit, ſcilicet, Pater noſter. De Benedictiõe epiſcopali, & abbatũ habetur. 1. q. 1. cap. benedictio. cap. multi. De tunſione pectoris habetur de pœnitentia. d. 1. cap. tres ſunt actiões, &. d. 2. c. ſicut inquit. & de ſacra vnctione. cap. cùm veniſſem. §. 1.

QVAERITVR, vtrùm peccata per pœnitentiã remiſſa redeant per ſequens peccatũ? S. Tho. 3. p. q. 88. arti. 1. dicit, quòd in peccato duo poſſunt cõſiderari, vnum eſt ipſa culpa, alterum 111 Peccata per pœnitẽtiam remiſſa, an re

M rea

deāt per sequens peccatū.

reatus ad pœnam, & tunc ponit tres conclusiones. Prima, Peccatum non potest redire quantum ad culpam. Patet, nam si Sortes occidit hominem & egit de illo homicidio pœnitentiam: & iterum post pœnitētiam furatus est, hoc vltimum peccatum furti non habet maculam homicidij. Secunda conclusio. Peccatum non redit quātum ad reatū pœnæ sensus, quia noua pœna sensus debetur peccato huic nouo, & non illa prior. Tertia conclusio, Peccata preterita redeunt per sequens peccatum quātum ad pœnam damni aliquo modo: quia eadem pœna damni erit pro quolibet peccato, & eodem modo priuatur visione diuina. Et hoc modo intelligitur illud Iacobi, Qui in vno peccauerit, factus est omnium reus. Verum est, quod peccata præcedētia dicuntur aliquo modo redire per quandā ingratitudinem, ad istum sensum, quod grauius est peccatū quod nunc post remissa peccata

cata ſit, quàm ſi prius nō eſſent remiſſa peccata. Poſt remiſsionem enim iterū Deum offendere, magna in gratitudo eſt. Hæc autem grauitas quæ ratione ingratitudinis conſurgit, cùm non mutet ſpeciem peccati ſecundùm omnes, nō eſt de neceſsitate cōfitenda. Non enim eſt opus, vt dicat, poſtquā ſunt mihi dimiſſa peccata adulteratus ſum. Patet igitur, ꝙ peccata ſemel remiſſa nō redeunt per peccatum ſequens. Sine pœnitētia enim ſunt dona Dei. Roma. 11.

QVAERITVR, vtrū per pœnitētiam reſtituatur homini gr̃a, & virtutes infuſæ? Reſp. ſecūdū oēs, ꝙ nō eſt dubitandum de hoc. Nā cùm in pœnitētia detur gratia, neceſſariò dantur omnes virtutes infuſæ, quæ gratiā cōcomittantur: ſicut in baptiſmo, quia datur gratia, dantur etiam virtutes morales. Sed tota difficultas eſt, vtrum reſurgat pœnités ad tantā gratiā quantā habebat antequam caderet, vel ad maiorē, aut mino- 112 Per pœnitētiam reſtituitur gratia & virtutes infuſæ.

norem? Ad quod omnibus alijs opinionibus dimissis, dico cum. S. Tho. 3. p. q. 89. ar. 2. 3. & 5. quod pœnitens nō semper resurgit ad maiorem gratiam quàm illa à qua cecidit, nec ad æqualem, sed secundùm proportionem contritionis quam habet. Hæc opinio fuit antiquorum omnium, Alberti magni, Alexandri de Ales. 4. p. q. 77. membro. 5. & Bonauenturæ. 4. dist. 14. & Ricardi, & omnium illorũ qui scripserunt in theologia grauiter, & modestè. Hoc probatur à posteriori præter autoritatem Hieronymi quam allegat Sanctus Thomas, quia experientia ostendit, quòd pœnitens non semper resurgit ad maiorem gratiam: videmus enim feruentissimos viros post peccatum & pœnitentiam, tepidè & non ita feruenter sicut anteà operari: ergo non habent tunc maiorem gratiam & amorẽ Dei, amor enim Dei non est ociosus. Videmus verò magnum peccatorem aliquã-
do,

do feruentisſimè pœnitere, & exerceri in bonis operibus: igitur non omnes reſurgunt ſemper ad maiorẽ, vel æqualem gratiam. Item ad gratiam requiritur diſpoſitio, & quantò maior eſt diſpoſitio, tantò maior gratia introducitur: ſed contritio eſt diſpoſitio, non ſolùm ad nouam gratiam, ſed etiam ad gratiam præteritam: ergo quantò maior fuerit cõtritio, tantò maior erit gratia, etiam præterita. Dico igitur primò quod cuicunque reſurgenti, extra gratiam quæ datur ei ſecundùm menſuram contritionis quam habet, & quæ daretur etiam ſine meritis prioribus, datur ei aliquid ratione præcedentium meritorum. v. g. ſit Petrus qui habebat centum meritorum gradus, conteritur nunc poſt peccatum contritione vt decem: dico quòd vltra gratiam vt decem quæ datur ei ratione contritionis, datur aliqua gratia ratione præcedentiũ meritorum. Secundò dico, quòd quanto

prædicta contritio maior fuerit, tam maior gratia dabitur ei ratione præce dentium meritorum. v. g. Petrus ante habebat gratiam vt decem, & Plato vt decem resurgunt ambo: Petrus contritione vt decem, Plato contritione vt 20. dico, quod Platoni dabitur maior gratia ratione præcedentium meritorum. Tertiò & vltimò dico, quod perfectè pœnitenti, id est, ex toto conatu, semper restituitur tota gratia præcedens. Nam perfectæ pœnitentię correspondet perfecta restitutio, nõ est auté perfecta restitutio nisi restituatur totum, ergo: & consequenter secundùm proportioné pœnitentiæ restituitur præcedens gratia. Quia iustum est, quod si toto conatui correspondet tota gratia, quod medietati conatus respondeat medietas gratiæ & tertiæ parti conatus. 3. pars gratiæ, & sic consequenter. Vnde optimũ est sæpe dolere de peccatis, vt restituaẽ tota gratia ratione præcedentium meritorum.

Vtrum,

VTRVM autem ratione aliorum bonorum operum restituatur aliquid de gratia præcedenti? Probabiliter dicimus, quòd sic. Videtur enim omnino, quòd bonus princeps si propter delicta abstulerit ab aliquo bona, postmodùm illo pœnitēte restituerit ei princeps aliquam bonorum partem, tot obsequia posset deinde regi exhibere, q̄ redat ei omnia: & esset hoc laudabile in principe. Ita prorsus videtur dignum sentire de Deo, & quod diligenti Deum vel dāti eleemosynam, vel alia bona opera facienti post pœnitentiam, restituat aliquid de gratia deperdita. Certum igitur est merita præcedentia non perdi omnino, sed recuperari à pœnitente. 113 Per omnia bona opera restitui᷑ aliquid de gratia p̄dita.

De Contritione.

DE partibus pœnitentiæ tractatū aggrediēti. Quæritur in primis quid sit contritio, qm̄ ea est pœnitentiæ pars prima? Resp. q̄ est 114 Cōtritio quid sit.

perfectus actus pœnitentiæ. Pœnitentia eñ virtus eſt, per quã placamus nobis Deum iratum, & conſequimur remiſsionem peccatorum. Ad hæc enim duo debet dirigi tota pœnitentis intentio. Eſt autẽ iſte actus pœnitẽtis dolor: vnde pœnitẽtiæ dolor eſt cõtritio, quæ maximè propitiatur Deum. Hierony. & habetur de pœnitẽtia. d. 1. c. mẽſura apud Deum non tantum valet mẽſura tẽporis quã doloris. Et Chryſoſtomus homilia. 21. ſuper Matthæum, non dolere quia peccaueris, magis indignari facit Deum, quàm id ipſum quod antea peccaueras. Sunt de hoc infinita teſtimonia ſanctorum, & ſacræ ſcripturæ atteſtantia, quòd dolor de peccatis eſt pars pœnitentiæ valens ad remiſsionem peccatorum: vt patet ex conuerſione Magdalenæ, & fletu Petri poſt negationem, &c. Habemus igitur, ꝙ contritio eſt dolor. Et ita diffinitur in concil. Florentino, ſub Eugenio. 4. Et

in con

in Concilio Tridentino, Sesſione. 14. Cano. 4. Sed notandum duplicem eſſe dolorem, quia quidā eſt ſenſitiuus, alius eſt intellectiuus. Contritio autem eſt dolor intellectiuus & non ſenſitiuus: vt docet Sanctus Thom. 3. par. quæſt. 85. articu. 1. & omnes doctores. Quia contritio eſt in poteſtate noſtra, ſed dolor ſenſitiuus non eſt in poteſtate noſtra. ergo. Et adhuc propriè loquendo contritio non eſt ipſe dolor, ſed odium & diſplicentia peccati, ex quo naſcitur dolor. Eſt igitur contritio odium, nolitio, & deteſtatio peccatorum præteritorum.

QVAERITVR, an ſufficiat dolere ſolùm de peccatis præteritis, vel an requiratur etiam propoſitum non peccādi? Hæc eſt grauis quæſtio, & de qua ſunt variæ ſententiæ. Maioris in. 4. diſtin. 14. q. 1. & Almain. & Bonauent. 4. diſt. 14. in expoſitione textus dicunt, ꝙ ſi pœnitens nihil cogitat de futuro, non 115

An ſit neceſſariū propoſitum non peccādi.

 opor-

oportet quòd habeat propositum caui-
di à peccatis, sed sufficit quod actualiter
non habeat contrarium actum. S. Tho.
1.2. quæstione. 113. articu. 5. & in. 4. di-
stinct. 14. in expositione textus. & dis.
17. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula. 4. &
3. p. q. 85. articu. 3. &. q. 90. artic. 4. &.
contra gentes. ca. 158. &. 4. contra gen-
tes. capit. 72. & Adrianus quodlibet.
articu. 3. dicunt, quòd requiritur actua-
le propositum cauendi à peccatis futu-
ris. Idem tenet Albertus Magnus. 4. dis.
14. articul. 10. & Alexander de Ales. 4.
p. membro. 9. Quæ harum sententia-
rum sit vera. Firmiter tenendum atque
intrepidè dicendum est, q̃ sola senten-
tia D. Tho. quam stabilem & firmam fa-
ciunt primũ verba cõcil. Florentin. quę
dicũt, ad cõtritionem spectat dolere de
pctis cõmissis, cũ proposito nõ peccãdi
deinceps. Præterea concilium Triden.
Sessi. 14. capi. 4. cuius verba sunt. Con-
tritio quæ primũ locũ inter dictos pœ-
ni-

nitentiæ actus habet animi dolor ac detestatio est de pctō cōmisso cū proposito non peccandi de cætero. Item Ioan. 5.&.8. Existenti ad piscina dixit Dns &, adulteræ, amplius noli peccare: non dixit nō pecces: sed noli. Itē primū quod ab eo qui fecit iniuriam postulamus, est huiusmodi propositum (Señor nunca mas). Item non habet veram pœnitentiam qui non diligit Deum super omnia, sed q sic diligit Deū, vult ei in omnibus placere, & in nullò displicere: ergo talis habet propositum cauendi futura.

QVAERITVR, de quo debeat esse contritio? Respondeo, quod non de peccato originali, sed de peccatis actualibus. Patet tū ex verbis vtriusque Concilij Florentini, & Tridentini in præcedenti quæstione citatis. Itē quia pœnitentiæ sacramentum nō habet locum neque virtutem nisi post sacramētum baptismi susceptum. Vnde in conci. Triden. Sesi. 14. cano. 1. sic dr̃. Si qs 116

Cōtritio est ꝑ peccatis actualib⁹. sed nō oportet vt de quolibet peccato sit districta cōtritio.

dixerit

dixerit in ecclesia catholica pœniten tiam non esse verè & propriè sacramen tum pro fidelibus quoties post baptis mum in peccata labuntur. &c. anathe ma sit. Ex qua sententia nunc diffi nita liquidò constat sacramentum pœ nitentiæ nullũ locum habere in pueris nec in illis qui ad vsum rationis, nec in minimo peruenerunt. Nam si peccare non potuerunt: nec pœnitere, nec cõfi teri tenent̄. Et est differẽtia, q̄a ad pc̄ti mortalia requiritur cõtritio, nõ tñ ad ve nialia. Vtrùm autem debeat esse cõtri tio distincta de oĩbus pc̄tĩs in particu lari, vel an sufficiat vnica contritio de oĩbus in gñrali, dubitari solet. Quidam em̃ tenuerunt necessarias esse tot cõtri tiones quot peccata mortalia, quia S. Thom. dicit, quòd contritio debet esse distincta de singulis peccatis mortali bus. Sed ego credo sicut dicit Caieta. quòd hæc opinio sit falsissima. Non oportet reddere pœnitentiam ita dif-

ficilem,& inaccessibilem. Quod ego sentio est, quod ad remissionem peccatorum sufficit dolor generalis de omnibus peccatis: & non requiritur dolor in particulari. Patet,quia aliàs non posset homo consequi remissionē peccatorum nisi aliquo certo & determinato tempore, quod est falsissimum: nam in quocunque momento potest homo sufficienter conteri, iuxta illud Ezechielis. 33. In quacunque die ingemuerit peccator, &c. Et sumitur ibi dies pro momento. Sequela autem probatur, quia ad cogitandum peccata requiritur certum tempus, ergo ad dolendum in speciali etiam requiritur tempus certum. Et hoc primum conceditur, & necessariò concedendū est ab omnibus. Secundò dico, ꝙ nec ante cōtritionem gn̄ralem, nec post, requiritur cogitatio & detestatio singulorū peccatorū in particulari ante confessionem: in ipsa em̄ cōfessione tenetur

tur

tur homo cõteri in speciali. Cùm enim cõfessio debeat esse distincta tunc cùm ea cõfitetur, detestatur illa: nã aliàs esset fictio. Nec oportet dicere doleo de istis quatuor & de his. 6. sed doleat de omnibus, & confiteatur distinctè peccata sua, & hoc sufficit. Quia actus interior pœnitentiæ à quo exterior proficiscitur: singula mortalia quæ sub cõfessione cadunt, respicit.

117 An quilibet paruus dolor sufficiat ad remittendũ pctã.

QVAERITVR, vtrũ quicũq; dolor peccatorũ quantumuis paruus sufficiat ad remittendũ peccata? Scotus. 4. d. 14. q. 4. articu. 2. dicit quòd licet quis habeat dolòrem de peccatis propter Deum, cum omnibus alijs bonis circumstantijs: nisi talis dolor habuerit certam intensionem & continuationem, non sufficit. Quanta autem debeat esse ista intensio doloris, dicit ꝙ solus Deus nouit. Sed hoc est merè voluntariè dictũ. In re autem necessaria ad salutem non debemus loqui sine autoritate sacræ scri-

ſcripturæ, aut Sanctorum. Item arguitur contra hoc. Deus pronior eſt ad miſerendum quàm ad puniendum: ſed quæcunque intenſio voluntatis in peccatum, etiam in vno inſtanti ſufficit ad damnandum hominẽ: ergo quæcũque intenſio contra peccatum in quocũque inſtanti ſufficiet ad conſequendam miſericordiam & remiſsionem. Tenendum igitur eſt (omiſſa multitudine argumentorum) quòd in contritione nõ requiritur certa intenſio, aut continuatio temporis. Sed tũc dubitatur quomodo intelligitur, quòd contritio debet eſſe maximus dolor, vt dicunt Doctores requiri: quia eſt de maximo malo ſcilicet de offenſa Dei? Ad hoc dicendũ, ꝙ ſicut dilectio Dei debet eſſe maxima non intenſiuè, ſed affectiuè & appretiatiuè: ita requiritur quòd odio habeamus peccatum ſupra omne odibile: & reuerà mallem eſſe mortuus incurriſſeque quæcũque alia dãna quàm pecca

tum

tũ, licèt talis actus sit remissus gradu-
liter. Non oportet tamen, quod pœniten-
faciat illam comparationem, mallẽ pa-
hanc mortẽ, vel illud malum, quã incu-
risse hoc peccatũ (quãuis hic actus esse-
valde perfectus, & multùm valeret ad
pœnæ remissionẽ) sed sicut satis est a-
dilectionem Dei super oĩa, velle ei in
omnibus placere, & in nullo displice-
re: ita ad contritionem sufficit dicere
ego nullo mõ vellem offendisse De-
Et licèt experiamur in morte charor-
nos plus dolere quàm in peccatis, non
turbemur: quia hoc prouenit ex eo q
præsentia magis mouet quam absentia
& magis connaturalia sunt magis sen-
sibilia, ideo appetitum sensitiuum ma-
gis mouent. Hic autem dolor sensiti-
uus debet esse moderatus. Vnde Apo-
stolus. 2. Corinthio. 2. admonet eos vt
consolentur pœnitentem quendã, ne
abundãtiori tristitia absorbeatꝰ. Dolor
autem intellectiuus nõ põt esse nimius

Vtrùm

VTRVM de grauiori peccato ſit habenda maior contritio quàm de minori? Reſpondeo primò, quòd non eſt neceſſariũ dolere amplius de vno peccato quàm de alio. Patet, quia vt ſuprà diximus, ſufficit ad contritionem dolor in vniuerſali de omnibus peccatis, & talis dolor non eſt tunc intenſior reſpectu vnius peccati, quàm reſpectu alterius. Secundò dico, quòd id eſſet conuenientiſsimum, vt ſcilicet, maiorem dolorem habeat homo de maiori peccato. Quòd autem hoc non ſit neceſſarium patet, quia aliàs teneretur pœnitens ſcire grauitates peccatorum, quòd ſcilicet ſit grauius peccatũ, fornicatio, an detractio, quod nullo modo eſt dicendum. 118

An de maiori peccato ſit magis dolendum.

QVAERITVR, vtrũ dolor contritionis habere debeat hanc circunſtãtiam finis, vt ſit propter Deũ? Vtrum ad hoc, ꝙ contritio ſit ſufficiens ad remiſſionem peccatorum, requiratur dilectio 119

An cõtritio ſit dolor propter deũ.

ctio Dei ſuper omnia? Reſpō. ꝙ de hoc ſunt opiniones. Gabriel. 4. d. 14. q. 1. & 2. & Palude. d. 17. qō. 2. concluſione. 1. & Caiet. q. 1. de contritione, & Capre. 2. d. 41. q. 1. ad. 1. Grego. tenent & requiritur dilectio Dei ſuper omnia. Et idem videtur dicere S. Tho. 3. p. q. 85. artic. 5. vbi dicit, quòd quintus actus qui cōcurrit ad contritionem eſt actus charitatis &. 1. 2. qō. 113. artic. 41. dicit ꝙ ad pœnitentiam non ſufficit motus fidei niſi ſit informatus charitate. &. 3. p. q. 84. articul. 6. dicit ꝙ actus pœnitentiæ naſcitur ex actu charitatis. Et probatur, quia in pœnitentia fit integratio amicitiæ (fit enim ex inimico amicus) ſed hoc eſt impoſsibile niſi inimicus incipiat diligere, ergo. In contrarium eſt, quia dilectionis actus eſt perfectior, quàm actus pœnitentiæ: ergo remiſsio peccatorum uon deberet tribui actui pœnitentiæ, ſed actui dilectionis: cuius oppoſitum dicunt omnes. Pro ſolutione

huius

huius dubij notandum, ꝙ actus pœnitentiæ est actus distinctus ab actu dilectionis Dei: quia pœnitentia & charitas distinguuntur, ergo etiam actus earum. Hoc supposito, videtur quòd non possit esse pœnitentia sine dilectione Dei, quia odium nascitur ex amore, ergo odium peccatorum nascitur ex dilectione Dei: si enim non diligerem Deũ, quare odio haberem peccata? nunquid propter amorem creaturæ? nõ certè, sed propter Dei amorẽ: cùm igitur odium peccatorum sit super omne odibile in verè pœnitenti, ergo procedit ex amore Dei super omnia. Et ita est regulariter, ꝙ peccator ex amore mouetur ad pœnitendum. Põt tñ esse ꝙ in volũtate nõ sit alius actus quàm iste, doleo quia offendi Deum: qui nec est elicitus nec imperatus à charitate, & iste talis actus sine alia dilectione sufficit ad remissionẽ peccatorum, qui licèt regulariter procedat à charitate, tamẽ re-

misſio peccatorũ magis tribuitur pœnitentiæ quã charitati, qui in ſacra ſcriptura illi actui promittitur remiſsio. Et S. Tho. dicens ꝙ pœnitentia procedit ex amore, intelligendus eſt cõmuniter & regulariter: vt patet apud ipſum. 4. d. 14. q. 1. arti. 2. quæſtiũ. 1. Verũ eſt ꝙ ipſe actus pœnitentiæ, nolle Deo diſplicere, eſt vera dilectio. Dolor igitur peccatorum debet eſſe propter Deum, non propter timorem pœnarũ, aut propter quoduis aliud: ſed quia ſunt offenſæ Dei patris pijſsimi.

120 An qui dolet ꝑpter Deũ ſemper recipiat gratiam.

QVAERITVR, vtrum qui dolet vt nũc diximus ſemper recipiat gratiã? Caieta. q. 1. de contritione, tenet mirabilẽ opinionem, ſcilicet, ꝙ ſtat quẽpiam dolere de peccatis perfectè, & perfectè proponere cauere ab illis in futurũ, & perfectè diligere Deum ſuper omnia non habere gratiã. Ratio eius eſt, quia aliàs ſequereẽ ꝙ poſſet quis habere euidentiã ꝙ ſit in gratia. Oppoſitũ tenent

nent omnes doctores, & dicũt ꝙ quàm primũ fecerit aliquis totum quod in se est, statim habebit gratiã. Vide S. Tho. 1.2.q.112.ar.2.ad.1.&.q.113.arti.3.& 8.&.3.q.85. arti. 5. &. 6. Et in pluribus alij locis. Et oppositũ esset contra scripturã sacrã dicẽtẽ, Conuertimini ad me & ego cõuertar ad vos: iã hic pœnitens conuertitur ad Deũ: & Deus non conuertitur ad pœnitentem. Iacob. 4. appropinquate Deo, & appropinquabitur vobis. & Ioã. 14. Qui diligit me diligetur à patre meo. Et Psalm. 50. Cor contritum & humiliatum Deus nõ despicies. Falsissimum ergo est quod Caieta. dicit. Et dico, ꝙ non stat de lege ꝙ taliter pœnitens careat gratia cùm faciat totum quod in se est. Nec hoc dato sequitur se scire euidenter ꝙ habeat gratiam. Non enim ego possum habere euidentiam, ꝙ doleo de peccato super oĩa, vel ꝙ proponam perfectè cauere in futurum. Habemus igitur pro cer-

to, ꝙ qui ſic dolet habebit gratiam.

QVAERITVR, vtrũ attritio poſſit fieri contritio? Ad hoc ſuppono ex omnibus doctoribus, & S. Tho. ꝙ nihil aliud eſt cõtritio quã dolor perfectus: attritio verò dolor imperfectus. Tunc dicit Sanct. Tho. 4. d. 17. q. 2. art. 1. quæſtiuncula. 3. quòd attritio nõ poteſt fieri contritio. Probatur quia principium contritionis eſt gratia virtus infuſa: attritionis verò principium eſt habitus acquiſitus, vel ſola potentia, idem autem actus non poteſt elici à virtute infuſa, & acquiſita vel à potentia, ergo. Sciendũ eſt tamen ꝙ duplex eſt contritio, quædam intrinſecè, quæ habet hoc pro obiecto: doleo de peccatis ſuper omnia. Alia extrinſecè. i. ex circunſtantia, & ſic omnis dolor qui eſt cum gratia vocatur contritio. Eodem modo duplex eſt attritio. Quædam intrinſecè ex obiecto, vt putà, doleo de peccatis quia turpia ſunt & infamia, vel propter

pter infernum. Alia extrinſecè, putà doleo de peccatis propter Deum: & cum omnibus circunſtantijs, ſed omitto pręceptum aliquod neceſſarium. Tunc fit concluſio. Nunquam ex attritione fit contritio intrinſeca, quia differunt ex obiecto: vna enim dolet propter Deũ, alia propter pœnas. Vnde concluſio S. Thom. intelligitur de attritione propriè dicta, & de contritione propriè dicta.

QVAERITVR, vtrũ tota iſta vita ſit tẽpas cõtritionis? Reſpond. primò quòd eſt expediens & conueniens ſępè dolere de peccatis. Et ſancti ita cõſulũt. Ad amicitiam enim pertinet ſæpe dolere de offenſa facta amico: maximè quia dolere debemus quouſque reparemus detrimentum factum per peccatũ, ſed multa ſunt quæ nullo modo poſſunt reparari, putà tẽpus qđ perdidimus peccãdo, ergo per totã vitã dolere debemus de illo. Hoc autẽ intelligendũ eſt de do 112 An tota vita ſit tẽpus cõtritionis.

 lore

lore qui est in voluntane, nam de sensitiuo dolore graue esset videre amicum semper esse tristem. Loquendo autem de doloris tempore qui est sub præcepto dico, quòd de peccato semel dimisso nō tenemur amplius dolere, quia Deus non iudicat bis in id ipsum, vt dicitur Nahum. 1. Sed ex peccato non dimisso est dubium quando teneatur homo cōteri? Ad hoc Caietanus quodlibeto. 2. q. 3. dicit ꝙ præceptum cōtritionis partim est affirmatiuum, quia obligat ad actum, scilicet ad dolorem: partim negatiuum, quia obligat ad non manendum in peccato. Loquendo de hoc præcepto in quātum est affirmatiuum obligat semper, sed non ad semper, sicut & reliqua præcepta affirmatiua: scilicet in casu necessitatis, putà cùm quis administrat vel recipit sacramentum, vel in articulo mortis. Loquendo verò de prædicto præcepto in quantum est negatiuum obligans ad non manendū in ini-

micitia

micitia Dei, obligat ſicut cætera præcepta negatiua ſemper & ad ſemper: & ad ſtatim. Et ſicut qui tenet alienum tenetur ſtatim reddere, ſic qui eſt in ſtatu inimicitiæ Dei, tenetur ſtatim ab illo exire. Peccat autem contra hoc præceptum qui habet actum cõmiſsionis cõtrarium, putà ſi dicat volo manere in hoc ſtatu per diem aut per horam. Sicut qui retinet alienum nõ ſemper peccãt de nouo, ſed cùm habet hũc actum poſitiuum, nolo reddere alienum, eſt tamen ſemper in malo ſtatu. Magiſter meus Victoria tenet quòd nullum eſt præceptum de pœnitentia aut contritione, quod obliget ſub nouo peccato. Quanuis peccatum mortale ſine pœnitentia non poſsit deleri, ac proinde ſit neceſſarium dolere ſeu pœnitere, ſed qui non pœnituerit, damnabitur quidem propter peccata quæ commiſit, ſed non quia non pœnituit. Sed quia mihi magis placet opinio cõtraria ideò

hanc non prosequor.

123 An post vitam sit locus pœnitentię. QVAERITVR, vtrũ post hãc vitã sit locus pœnitẽtiæ? Resp. ꝙ non sed prout in corpore gessit siue bonum, siue malũ recipiet. 2. Corinthiorũ. 5. Et vbi ceciderit lignũ, ibi manebit, Ecclesiast. 11. Veniet nox quando nemo poterit operari. Ioannis. 9. Sed contra de Traiano, & alijs, quos apostoli suscitauerunt, quorum aliqui forsan erant in infernum detrusi. Respond. nõ dubito quin Deus possit homines damnatos liberare ab inferno, sed hoc est præter legem. Id autẽ, quod dicitur de Traiano timeo ꝙ sit fabula, tamen quicquid sit, Deus põt omnes dãnatos eripere ab inferno, etiã si non pœniteant. Et sic non opus est dicere, ꝙ suscitauit illũ ad pœnitendum enim erat opus.

124 An venialia remittant post QVAERITVR, vtrum saltẽ peccata venialia post hãc vitã remittantur. Respon. ꝙ cùm multi moriantur in peccatis venialibus, vel quia non cogitauerunt

uerunt de illis. vel quia complacent si- hanc vitam.
bi in aliquo, necessariũ est dicere q̃ in alia vita remittantur. Et ita S. Thom. 4. d. 21. q. 1. art. 3. Et in additionibus. q. 4. ar. 3. dicit, q̃ peccata venialia remittuntur in purgatorio: & eodem modo sicut in via remittuntur. In inferno autẽ ideò non remittuntur, quia ibi existentes sunt inimici Dei, & Deus eorũ opera non acceptat. At existentes in purgatorio sunt amici Dei, & ideò acceptantur eorũ opera: & etiam per displicentiam peccatorũ remittũtur eis peccata venialia. Ita. Greg. 4. dialogo. c. 39. & habetur. 25. dist. ca. qualiter. & Aug. 21. de Ciuitate. c. 24. Matth. 12. Nõ remittetur ei neq; in hoc seculo neque in futuro. 2. Macha. 12. Sãcta ergo & salubris cogitatio pro defunctis exorare, vt peccatis soluãtur. Opera igitur bona existentiũ in purgatorio sunt quidẽ meritoria remissiõis pctõrũ: nõ tñ gloriæ.

QVAERITVR, vtrũ semper re- 125
mittan-

An contritio remittat totam pœnam.

mittatur per contritionem tota pœna peccatis debita? Respondetur iuxta fidem catholicam negatiuè: ita enim diffinitum est in Concil. Tridenti. sessio. 14. Can. 12. his verbis. Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, anathema sit. Et item cano. 15. in fine. Præterea patet, nam iam satisfactio non esset pars huius sacramēti, quod est contra priùs diffinita. Item, quia aliàs non esset opus purgatorio. Quòd autem post remissionē culpæ maneat reatus pœnæ, probatur vnica autoritate. 2. Reg. 12. Vbi postquam peccatum Dauid remissum est, dicitur in pœnam eius vnicus filius qui natus est tibi morietur. Et alius locus. Iosue. 22. An parū vobis est, ꝙ peccastis in Beelphegor? vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet. Vide Sanct. Thom. 1. 2. q. 86. artic. 2. Potest nihilominus tanta esse contritio, ꝙ sufficiat ad remittendum

dum totam pœnam, ſicuti credimus de Magdalena. Et hæc de contritione ſufficiant.

Sequitur de Confeſſione, ſecunda Pœnitentiæ parte.

De hac materia Confeſsionis tractant doct. in. 4. diſtinct. 17. & S. Thom. ibidem, & in additionibus. q. 6. Et ante omnia.

QVAERITVR, vtrũ confeſſio ſit de neceſsitate ſalutis? 126
Reſpond. ꝙ ſic, & ita firma fide tenendum eſt, vt patet ex Concil. Tridenti. ſeſsio. 14. Cano. 6. cuius verba ſunt. Si quis negauerit cõfeſsionem ſacramentalem vel inſtitutam vel ad ſalutem neceſſeriam nõ eſſe de iure diuino, Anathema ſit. Idem patet ex capit.

Cõfeſsio eſt neceſſaria ad ſalutem.

omnis

omnis vtriuſque ſexus. de pœnitenti. & remiſsionibus. vbi hoc expreſsè dicitur, ex præallegatis conſtat confeſsionem eſſe de iure diuino. De qua tamen re inferiùs aliqua dicentur. Sed dubium eſt, an ſi confeſsio non eſſet præcepta de iure diuino, poſſet eccleſia ad eam obligare? Nam ſi poſsit parum refert ſcire an confeſsio ſit de iure diuino, ſufficit enim q̃ iam eccleſia in concilio generali obligauit omnes ad confeſsionem. Et videtur, quòd eccleſia non potuerit confeſsionem præcipere. Nam ſecundùm communẽ opinionem eccleſia non habet iuriſdictionem ſuper actus interiores, ergo ſaltem non poſſet nos obligare ad confitendum illos: quod quidam aſſerunt ſed tamen danati ſunt. Item eccleſia nõ poſſet me obligare etiã pro quocunq; crimine, vt religionem profiterer, quia eſſet nimis graue onus, vt eſt cõmunis opinio, ſed etiã eſt onus grauiſsimũ & difficillimũ

peccata

peccata confiteri: ergo ſi non eſſet pręceptum diuinum, eccleſia nõ poſſet ad hoc obligare. Hæc eſt res diſputabilis, & qua parũ indigemus, quia habemus pro certo, quòd de confeſsione ſit præceptum in iure diuino: vt primò probauimus. Notandum tamen, quòd duplicia ſunt præcepta, quædam quæ licèt ſint abſoluta, non obligât hominem abſolutè ſed in caſu, vt de eleemoſyna eſt abſolutè præceptum, & tamen nõ obligat niſi in caſu neceſsitatis: & poteſt eſſe ꝙ nunquam occurrat talis caſus in vita, & ideò non vocatur eleemoſyna neceſſaria ad ſalutem. Idem de ſanctificatione Sabbati, maximè ſi eccleſia non determinaſſet diem. Idem de honorandis parentibus. Alia ſunt præcepta quæ obligant abſolutè, & non eſt ſatis in caſu, ſed oportet vt vos quæratis caſum, & diſponamini ad implendum illa. Et huiuſmodi eſt præceptum baptiſmi confeſsionis, eucharistiæ, circa quæ-

Infra numero. 191

ca quæ teneor facere ad illa implend
Et hæc vocatur neceſſaria ad ſalutem
127 QVAERITVR, an confeſsio ſi
Cõfeſsio nõ eſt tã neceſſaria ſicut baptiſm⁹
adeò neceſſaria ad ſalutem ſicut bapti
mus: ita quòd nunquam liceat illã omi
tere. Reſpondeo primò, ꝙ nõ eſt adeò
neceſſaria vt baptiſmus. Nam puer ſi-
ne actuali baptiſmo non poteſt ſaluar
poteſt autem homo ſaluari ſine actua
li confeſsione. Sed vtrùm cùm quis po
teſt confiteri, poſsit aliquando omitte
re confeſsionem. Reſpondeo pro nun
quòd multa ſunt præcepta Dei, & ſi
quandocunque quis poſſet confiteri
ne transgreſsione præcepti diuini, ten
tur confiteri, etiam ſi perdat bona. S
verò ſimul concurrat aliud præceptum
diuinum cum confeſsione, & præce-
ptum confeſsionis non poſsit impler
ſine alterius præcepti transgreſsione,
aliud eſt maius (maximè de iure na-
turali) tunc non tenetur confiteri, qu
le eſt non ſcandalizare. Vnde ſi fœm
na ſcire

na ſciret confeſſorem ſcandalizandum ſi ei confiteretur, non tenetur confiteri ei, vt latiùs infra dicemus.

QVAERITVR, an confeſsio ſit de iure naturali? Reſp. qđ non. Quia ſacramenta eccleſiæ ſunt de illis quæ ſunt ſupra naturam, & pertinentia ad fidem. Quis enim cognoſcet aquam mundare peccatorem? 128

Cõfeſsiõ nõ eſt de iure naturali.

QVAERITVR, vtrũ teneamur confiteri peccata venialia? Reſp. ꝙ omnes cõueniunt in hoc, ꝙ qui habet mortalia peccata non tenetur confiteri venialia, quia ſi teneretur confiteri vnum veniale, ergo & omnia, & cum venialia ſint infinita, eſſet quaſi impoſsibile omnia confiteri. Sed dubium eſt, an qui nõ habet niſi venialia teneatur ea confiteri ſemel in anno? De hoc S. Thom. q. 6. articul. 3. addi. 3. ponit duas opiniones. Prima dicit, ꝙ tenetur, quia pręceptum de confeſsione eſt abſolutum & poteſt impleri, ergo. Secunda opinio di- 129

Peccata venialia an teneamur confiteri.

cit quod nullus tenetur confiteri venialia. Et hæc eſt tenenda, quia pręceptum de cõfeſsione, intelligitur de mortalibus, vt expreſſè diffinitur in Concilio Tridenti. ſeſsio. 14. Cano. 7. vbi ſic dicitur. Siquis dixerit ſacramentum pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, &c. Anathema ſit. Pondera verbũ peccata mortalia. Item patet ex eo quod dicitur in, c. omnis vtriuſque ſexus. &c. confiteãtur proprio ſacerdoti. Circa venialia verò nõ eſt proprius ſacerdos, nã quilibet poteſt ea cõfiteri cui voluerit. Item eccleſia noluit de nouo præcipere confeſsionẽ ſed præceptũ iuris diuini determinare quo ad tẽpus executionis: at à Chriſto non eſt præcepta confeſsio niſi mortalium. ergo. Item in illa decretali imponitur nõ confitenti grauiſsima pœna, vt ſcilicet viuens arceatur ab ingreſſu eccleſię, & mortuus chri

ſtiana

ſtiana careat ſepultura: ſed huiuſmodi pœnæ nō imponũtur à pia matre eccleſia perfectioribus viris, quales ſunt qui habent ſolùm peccata venialia quæ alij peccatores non tenentur cõfiteri (aliàs meliores eſſent peioris conditionis) ergo. Itẽ quia ad remiſsionẽ venialiũ ſunt quamplura remedia, videlicet cõfeſsio generalis, oratio dominica, tũſio pectoris. &c. Cæterum & ſi nullo iure teneamur confiteri venialia, laudabile tñ eſt & valde vtile illa cõfiteri. horũ eñ peccatorũ cõfeſsio ſufficiẽs materia eſt ſacramẽti pœnitẽtiæ. Eſſetq; hæreſis aſſerere ꝙ non liceat cõfiteri peccata venialia, vt diffinitum eſt in cõcil. Triden. ſeſ. 14. Cã. 7. Cuius verba ſunt. Siquis dixerit nõ licere confiteri peccata venialia, Anathema ſit. Talis igitur qui non habet niſi venialia, petat in paſchate euchariſtiam, & ſacerdoti dicenti ꝙ priùs confiteatur, reſpondeat ſe nõ egere cõfeſsione, & ſacerdos credat. Sed quis

eſt hic,& laudabimus eum?

130 QVAERITVR, vtrũ aliquis poſ ſit confiteri peccatum quod nõ habet? Reſpõdet S. Tho. ꝙ ſi nunquã licet mẽtiri, multò minus in confeſsione. Sed quale peccatum erit? Dico probabiliter, ꝙ qui confitetur mortale quod non habet, peccat mortaliter: quia peccat circa ea quæ ſunt de neceſsitate confeſsionis, & decipit confeſſorem qui abſoluit quod non poteſt abſolui: & conſequenter dico, quòd confeſsio nõ fuit integra, ac proinde nulla & iteranda: quia non confitetur de illo mendacio pernicioſo. Si autem peccatum de quo dubitat, confiteatur tanquam certum: ſi id faciat credens eſſe magis ſecurum vt communiter fit, non peccat. Si autẽ faciat animo decipiendi confeſſorem, peccat mortaliter. Sed quid de ſcrupoloſis, vt ſi habeo ſuſpicionem, ꝙ feci peccatum? Reſpõdeo, ꝙ non ſolùm non teneor confiteri, ſed neque debeo facere

Mẽtiri in cõfeſsione quale ſit peccatum.

Scrupuloſi infamant ſacramenta.

facere, ſi credo q̃ non conſenſi. Quia in rebus moralibus debemus procedere ex craſsis coniecturis, Deus enim nõ eſt ſophiſta, nec quærit laqueos. In rebus autem moralibus vocatur demonſtratio, vbi habeo coniecturas pro vna parte & non pro alia, licèt habeã formidinẽ eius. Iſti qui ſic cõfitentur infamãt ſacramenta & redũt ea odioſa, ſatis eſt confiteri peccata certa & dubia: ſed non de ſcrupulis qui ſunt veri ſcrupuli. Nam de his loquor. Exemplum, eſt aliquis qui omnino habet propoſitum cauendi à peccatis, & nullo modo vellet cõſentire tentationibus, & expertus eſt q̃ ſolet reſiſtere cogitationibus & illecebris, poſteà occurrerunt cogitationes & detẽtus fuit in illis, & poſtquàm diſceſſerunt nõ recordatur ſi aduertit, ſi cõſenſit, vel qualiter ſe habuit. Dico, q̃ de tali ſcrupulo non oportet confiteri. Et eodẽ modo de cogitationibus fidei, & phantaſijs quæ occurrũt homini

etiã parato mori pro fide, ſi opus eſſet.

131 DVBITATVR, vtrũ peccet mortaliter qui cõfitetur peccatũ veniale quod non fecit? Nã ꝙ peccet venialiter certũ eſt. Caieta. in. 2. 2. in materia de mendacio dixit ꝙ eſt peccatum mortale: quia mentitur in iudicio; vbi tenetur dicere veritatem. Sed reſpõd. ꝙ non eſt mortale: nã licèt ſacerdos poſsit exigere veritatem à pœnitẽte, non tamẽ quancũque veritatẽ, ſed eam quæ pertinet ad materiam iudicij ſui, & cùm venialia nõ ſint materia confeſsionis mentiri circa illa, non eſt peccatũ mortale. Sicut nec ſi confeſſori interroganti, an ſim pauper, dixero ꝙ nõ, cũ tamẽ re vera ſim pauper, nõ pecco mortaliter. Et quãuis Caieta. in. 2. 2. fuerit illius ſententiæ, tamen in ſumma confeſsionis moderatiùs loquitur dicens, quòd ſi ſit intẽtio pœnitẽtis facere peccata venialia materiã confeſſionis, tunc mẽtiri (etiã circa venialia) eſſet mortale, quia iam veniale eſt materia

Mentiri circa venialia in cõfeſsione quale peccatũ ſit.

ria principalis & pertinẽs ad iudicium. Si verò non eſt intentio pœnitentis facere venialia materiã confeſsionis, mẽtiri circa illa nõ eſt mortale. Sed adhuc dico, quòd etiam ſi habuero intentionem efficiendi materiam confeſsionis ex venialibus, dicens mendacium circa illa, vt ſi dicam me non fuiſſe mentitum, nõ pecco mortaliter: quia per hoc q̃d nolo dicere mutatur intentio prior, & iã non manet materia confeſsionis, etiam ſi non habuero reflexionem illam, nolo quòd hoc peccatũ quod volo tacere ſit materia confeſsionis.

QVAERITVR, quãdo obligat pręceptum confeſsionis, an ſtatim poſt peccatũ? S. Tho. 4. d. 17. & in additionibus. q. 6. arti. 4. dicit q̀ hoc præceptum poteſt multipliciter conſiderari. Vno modo ſtando in ſolo iure diuino, ſeclusa eccleſiæ determinatione. Alio modo poſt eccleſiæ determinationem. Loquendo igitur ſecundum primam con- 132 Anſtatim poſt peccatum teneamur cõfiteri.

 ſide-

ſiderationem, dicunt aliqui, quòd obligat ſolùm ſemel in vita, in caſu neceſsitatis ſicut & alia præcepta affirmatiua, putà in articulo mortis. Sed contra, quia tunc eſſet impoſsibile confiteri peccata: nã cùm ad hoc requiratur memoria peccatorum, videtur impoſsibile moraliter loquendo, quòd quis habeat in memoria peccata quæ commiſit in. 40. annis: & ſic fruſtaretur illud præceptũ, ſaltem pro maiori parte, quia paucorum peccatorum in fine vitæ poſſet quis habere memoriã. Ideò dicunt alij quod tenetur quilibet confiteri in articulo neceſsitatis: qui vocatur quando eſt periculum obliuionis, ſicuti & alia præcepta tenemur implere quando eſt probabile, ꝙ ſi tunc non implentur, poſteà non poterunt impleri: ſicut de auditione miſſæ, non teneor eam audire manè, niſi ſolùm ſit vnica miſſa quæ manè celebratur: & ſic de confeſsione quã tenetur facere intra illud tempus quod

Quando tenemur cõfiteri.

quod sufficit ad memoriam peccatorũ retinendã. Sed contrà, quia si hoc esset verũ, ecclesia negligenter determinasset in capit. omnis vtriusq; sexus. tẽpus vnius anni pro confessione: nã probabile est, quòd in vno anno obliuiscuntur aliqua peccata. Certum enim est, ꝙ si de iure diuino teneremur cõsiteri peccata nostra pluries in anno, non posset ecclesia dare facultatem, quòd differretur confessio vsque ad annum: sed sunt aliqui qui in vno anno obliuiscuntur, ergo. Ad hoc sciendum, quòd ecclesia non dedit nouã licentiam, sed coërcuit negligentiam, nec voluit dicere, quòd non confiteantur ante annum: sed quo ad forum exterius voluit arctare. Vnde siquis aggrederetur periculum mortis ante annum, ecclesia non deobligauit illum à confessione in tali casu facienda. Sed quia nunc nemo obligatur confiteri nisi semel in anno (aliàs ecclesia deciperet nos) ideò falsum est

quod iſti dicũt. Itaq; videt̃ mihi,& e
notandũ pro alijs præceptis, quòd Chri
ſtus inſtituit eccleſiã & dedit ſacramen
ta & præcepta generalia non autẽ dedit
præcepta particularia, & ordinationes
ſpeciales quibus ſolis poſſet gubernari
vt iſti hæretici ſomniant. Quod patet,
nam Chriſtus nõ determinauit epiſco-
pos per diuerſas diœceſes, & tamen ni-
ſi eſſent epiſcopatus diſtincti, eſſet im-
poſsibile eccleſiam gubernari, quia poſ
ſent præcipere contraria. Nec in eo fuit
prouiſio Chriſti in ſufficiens, nam idcir
co conſtituit prælatos vt gubernarent
eccleſiam & præcepit fidelibus, obedi-
re præpoſitis veſtris. Secundò notandũ
quòd Chriſtus reliquit aliqua præcepta
generalia ſine determinatione, quę qui
dem non poſſunt commodè obſeruari
ad Chriſti intẽtionem, niſi eccleſia de-
terminaſſet tempus vel modum, &c.
V. g. Chriſtus poſuit præceptum eu-
chariſtiæ dicens, Niſi manducaueritis
car-

carnem filij hominis. &c. Stãdo ſolùm præcepto Chriſti, quando teneretur homo ſumere euchariſtiam? Si dicas, ꝙ ſemel in vita, hoc non eſt veriſimile cùm ſecũdum Hieronymum, Auguſti. Ambroſium, & alios doctores, in oratione dominica per panem quotidianum intelligatur euchariſtia. Cũ etiam Apoſtoli, & in primitiua eccleſia fideles frequentarẽt hoc myſterium. Et Chriſtus dixit, hæc quotieſcũque feceritis in mei memoriam facietis. Et iterum, hoc facite in meam commemorationem. Ac proinde patet, prædictum præceptum non poſſe cõmodè obſeruari ad intentionem Chriſti, ſine ordinatione & determinatione eccleſiæ. Item præceptum de celebratione feſti, quomodo impleretur? nunquid ſufficeret ſemel in uita genua flectere, & Deũ colere? Sic igitur dico de præcepto confeſsionis, ꝙ de iure diuino tenemur confiteri quãdo eccleſia determinauit. Nec

enim

em̃ ſtando in iure diuino põt determi-
nari quãdo obliget: fuit etenim intẽtu
Chriſti ꝙ iſta myſteria frequentarẽtur.

133 ¶NVNC videamus vtrum ſtando in iure diuino, ſint aliqui caſus in quibus teneamur ſtatim confiteri? Aliqui antiqui, & quidã ſummiſtæ dicunt, quod peccator tenetur ſtatim confiteri, quia aliàs exponeret ſe periculo: poſſet em̃ mori vel impediri lingua vel memoria labi. Item quia ſecus agendo, iam non facit quod in ſe eſt. Huius ſententiæ eſt Innocentius in capit. omnis. de pœnitentijs & remiſsionibus. Idem videtur ſentire Archid. in capitu. ille rex. de pœnitentijs. diſt. 3. Sed S. Thom. & alij doctores dicunt, ꝙ non tenetur homo ſtatim poſt peccatum confiteri. Patet, nemo tenetur ſtatim ad contritionem quæ eſt magis neceſſaria quàm cõfeſsio, ergo nec ad confeſsionem. Item hoc non determinatur in iure diuino, aut poſitiuo, ergo eſt falſum. Item eccle

Caſus in quibus tenemur ſtatim cõfiteri.

ſia

ſia determinauit ſemel in anno, ergo hoc ſufficit.

SED vtrùm homo de iure diuino teneatur confiteri in articulo mortis? Respond. quòd ſic. Nam peccator tenetur cõfiteri, & non poteſt poſt mortem, ergo qui eſt in illo articulo, ſi non vult cõfiteri exponit ſe periculo. Vnde in capitu. cum infirmitas. de pœnitentijs & remiſsionibus. præcipitur medicis, vt admoneant & exponant infirmis pericula mortis: in quo errant communiter medici, ne contriſtent infirmũ. Sed verũ eſt, quòd debent facere quantò melius potuerint: ſed omnino ſunt negligentes medici. Et poteſt contingere, quòd propter eorum negligentiam damnentur aliqui infirmi. Sed quid vocatur articulus mortis? Reſpondet Palud. 4. diſtin. 17. q. 2. quòd nõ dicitur articulus mortis, vnde quis poteſt mori: ſicut non eſt articulus mortis, juſtar, jugar a las cañas, correr toros, o cauallos: tunc enim non

134 In mortis articulo, an teneamur de iure diuino cõfiteri.

non tenetur homo confiteri ante iſta exercitia: ſed articulus mortis vocatur, vnde communiter, & frequenter ſolet ſequi mors, ſicut intrare bellum. De intrantibus autẽ mare eſt dubiũ, ſi enim eſſet paruum ſpacium & mare eſſet placidum, non tenetur confiteri. Breuiter arbitrio boni viri relinquatur iudicium de periculo mortis.

QVAERITVR, vtrũ ante eucharistiam teneatur homo de iure diuino cõfiteri? Cõmunis opinio eſt, ꝙ ſic. Caiet. 3. p. & in ſumma tenet oppoſitum. Cuius ſententia in Concil. Tridentino ſeſsione. 13. de ſacramento euchariſtiæ in calce canonis vndecimi, damnata eſt & reprobata, ita, vt nec opinatiuè poſsit defendi, etiam ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. De hoc iam diſputauimus ſuprà. Ex dictis ſanctorum non eſt dubium quin teneatur confiteri, ſi habeat copiam confeſſoris. Si autem non ha-

beat

beat & debeat celebrare diebus feſti-uis, bene poterit ſine præuia confeſsione: maximè ſi non celebrãdo incurrat aliquam notam infamiæ.

135 An ad recipiendũ alia ſacramenta teneamur cõfiteri.

SED vtrũ ad recipienda alia ſacramenta teneatur homo confiteri? De hoc Marſilius. 4. q. 11. art. 1. facit magnã difficultatẽ, & dicit particulariter de recipiente ſacramentum ordinis, ꝙ ordinandus tenetur confiteri priùs, quia ſacramentum ordinis directè ordinatur ad copiam gratiæ, & eſſet magna irreuerentia non diſponere ſe ad receptionem illius. Sed reſpondeo abſolute (omiſsis opinionibus) quòd ad receptionem aliorum ſacramentorũ nemo tenetur confiteri. Vnde de conſecrat. di. 4. vt ieiuni. dicitur, quòd qui confirmandi ſunt, ſi ſunt perfectæ ætatis, admoneantur vt priùs confiteantur. Vbi admonitio potiùs videtur conſiliũ quàm præceptum. Et ſi non eſt neceſſarium ante hoc ſacramentum confiteri

in

in quo recipitur copia gratiæ multò
nus erit in alijs. Quod clariùs patet
verbis Concilij Tridenti. ſeſsione.
de reformatione matrimonij capitu
vbi ſic dicitur. Poſtremò ſancta Syno
dus coniuges hortatur, vt antequā co
trahāt, vel ſaltem triduo ante matrim
nij conſummationem ſua peccata dil
genter confiteantur. Et ad ſanctiſsim
Euchariſtiæ ſacramentum piè acceda
Hactenus ibi Verum eſt, quòd quia om
nia ſacramenta conferunt gratiam, v
detur aliqua negligentia accedere ad
la ſine confeſsione. Sed quòd nō req
ratur confeſsio, patet etiam, quia eccle
ſia hoc nō determinauit, nec in iure d
uino habetur, ergo non eſt neceſſari
Sed vnde magis habemus quòd requ
ratur cōfeſsio ante euchariſtiam quā
ante alia ſacramēta? Reſpondeo, ꝙ ho
habemus ex Paulo dicente, probet au
tē ſeipſum homo, &c. Et ex vſu eccle
ſiæ: vbi qui non confitetur haberet co
ſcie

ſcientiam peccati mortalis. Itē ex dictis ſanctoru, & ex.c. omnis vtriuſq; ſexus. vbi præcipitur cõfeſsio ante paſcha propter euchariſtiam in eo ſumendam.

SED vtrùm ad adminiſtrandum ſacramenta teneatur ſacerdos confiteri? Reſp. ꝙ non, quia aliàs ſequeretur perplexitas. Nam ſi eſſent decē ſacerdotes omnes in peccato mortali, quis audiret priùs alterius confeſsionem? Sed ex reuerētia quã debemus ſacramētis, cõmodũ eſt, ꝙ ante quã illa miniſtremus, vel euangeliũ legamus confiteamur: ſi poteſt commodè fieri. Et aliquando negligentia cõfeſsionis poſſet eſſe venialis, nunquam tamē mortalis: & hoc teneatur ſine quocũque ſcrupulo. Adrianus, Palude, & Bonauentura, ponũt aliquos caſus in quibus tenetur homo ſtatim confiteri, ſed ego non credo eis. 136 Ad admĩniſtrãdũ ſacramẽta, an ſacerdos teneat̃ confiteri.

QVAERITVR, quãdo tenetur homo inre humano cõfiteri? Dices, ꝙ ſemel in annó, vt diffinitum eſt in illo 137 De iure humano quãdo te

 cano-

nemur cõfiteri. canone omnis vtriuſque ſexus. Præterea idem diffinitur in Concilio Tridentino, Seſsione. 14. Canon. 8. cuius verba ſunt. Si quis dixerit ad confeſsionem omnium peccatorum qualem eccleſia ſeruat, non teneri omnes & ſingulos Chriſti fideles, iuxta magni Concilij Lateraneñ. cõſtitutionem ſemel in anno, anathema ſit. Sed quæro ego, quando? nam in illo capitu. omnis vtriuſque non determinatur tempus, ac proinde ex illo præcepto non plùs obligamur confiteri in quadrageſima, quàm extra & ita eſt. Vnde dico, quòd ſi quis extra quadrageſimã ſemel fuerit cõfeſſus, ſi poſteà habuerit impedimentum ſumendi euchariſtiam in paſchate, non tenetur confiteri in quadrageſima. Et ſi recordetur ſe in confeſsione præcedenti oblitum fuiſſe aliquod peccatũ mortale, non tenetur illo eodem anno iterum confiteri, ſed poteſt expectare aliã quadrageſimam.

SED

SED quid faciet obliuiosus? an teneatur scribere peccata, vel aliter mandare memoriæ peccata? Maio. 4. d. 17. qõ. 2. dicit quòd sic. Ego non credo quòd teneatur, imò nec laudo, quòd peccata scribantur. Probo, quia non tenetur aliquis magis ad confessionem, quàm ad contritionem: sed ad contritionem habendam non oportet peccata scribere (sufficit in generali confiteri de oblitis) ergo nec ad confessionem requiritur id. Nec enim oportet iugum domini reddere grauius, satis est quòd quando confitetur, debet dare operam, vt recordetur peccatorum, & aliæ sunt fabulæ. Ita dicit Syluest. (doctor non spernendus) verb. Confessio. 1. §. primo. in fine. Et præterea difficilè est profectò quòd aliquis habẽs curam animæ suæ, obliuiscatur alicuius peccati mortalis. Certè est difficilè. 138

Obliuiosus an teneat̃ scribere peccata ad confitendum.

QVAERITVR, in qua ætate incipit obligare hoc præceptũ de confessione? 139

Qua ætate confi-

teri te-neamur. ne? Videtur, ꝙ nõ ſtatim poſt vſum rationis. Quoniã nec ſtatim tenetur ſumere euchariſtiã: cũ tamen etiam ſit in præcepto. Reſpondeo ſecundũ omnes quod ſtatim poſt vſum rationis tenetur cõfiteri peccatum mortale: ſed cum confeſsio ſit ſacramentum non debet ludicrè fieri. Et ſi non ſunt coniecturæ de vſu rationis, non ſunt pueri audiẽdi ea intentione, quaſi ſit ibi aliquod ſacramentum: ſed inſtruendi ſunt, & docendi. Ad argumẽtum de euchariſtia, reſpondeo primò, ꝙ aliquem habere, vel non habere vſum rationis non poteſt certò ſciri, niſi quibuſdã coniecturis: ideò quando non eſt certum, ſed habemus coniecturas, ꝙ habeat vſum rationis, tenetur confiteri: quia nullum eſt periculum, ꝙ confiteantur peccata etiam ante vſum rationis. Ad euchariſtiam autem non dimittuntur accedere quouſq; certo ſciamus, ꝙ habeant vſum rationis, propter irreuerentiam.

 Secun-

Secũdò dico, ꝙ vſus rationis non ſimul venit de omnibus rebus, poteſt enim quis cognoſcere vnũ, & non aliud. Nã priùs peruenit puer ad tẽpus: quo poſſit iudicare de peccatis mortalibus, quã ad intelligendũ tantum ſacramẽtũ, & ꝙ ibi ſit corpus Chriſti: quod tamen debet diſcernere qui ſumit euchariſtiam.

QVAERITVR, vtrũ Papa poſſit diſpenſare in præcepto cõfeſsionis? 140
An Papa poſsit diſpenſare in præcepto confeſsiõis.
Reſp. ꝙ non. Quia inferior non põt reuocare, nec relaxare præceptum ſuperioris: cũ nec par in parem habeat poteſtatem. Cum ergo præceptum confeſſionis ſit de iure diuino, nemo poterit diſpenſare niſi ſolus Deus. Sed contrà Papa poteſt diſpenſare in voto ſimplici, vt eſt cõmunis opinio: & tamen obligatio voti ſimplicis eſt de iure diuino, ergo. Item ſecũdùm opinionẽ communem Canoniſtarum, Papa poteſt dirimere matrimonium ratum per verba de præſenti (in quo etiam cõſentit Ca-

ietanus) ergo papa poteſt diſpenſare in iure diuino poſitiuo, quod & concedũt canoniſtæ, ſed nõ ita opinor profectò, mittunt enim falcem in meſſem alienam. Ad argumentum igitur, poteſt diſpenſare in voto concedo: & in matrimonio rato, tranſeat: ergo in iure diuino, diſtinguo cõſequẽs. Duplex eſt ius diuinum, vnum quod nõ dependet ab actibus noſtris, & in hoc non poteſt papa diſpenſare. Alterum quod dependet ab actibus noſtris, ita quòd per ſe non eſt ſufficiens ad obligandum ſine noua noſtra obligatione: ſicut eſt votum, & in hoc ratione illius propriæ obligationis quã ego ſuperinduxi, papa poteſt diſpenſare, imò & parentes diſpenſant in votis filiorum ante. 14. annum. De matrimonio autem rato dico quôd eſt contractus quidam: vnde ſi ius diuinum obligaret Petrũ ad accipiendam Mariam in coniugé, papa nihil poſſet, ſed quia ex actu illius

pendet hæc obligatio, & ex contractu humano particulari, ſi Papa in hoc poteſt diſpenſare (de quo tamen nihil dico) eſt ex ea parte, qua eſt ibi aliquid humanum, & quia præceptum confeſsionis eſt per ſe ſufficiens ad obligandum nos, eſt propriè ius diuinum, ac proinde non poteſt Papa in eo diſpenſare.

QVAERITVR, an ſit neceſſarium confiteri ſacerdoti? Reſpon. quòd ſic. Et ita firma fide tenendum eſt. Sic enim eſt diffinitum in Concilio Florentino, ſub Eugenio. 4. cuius verba ſunt. Sacramenti pœnitentiæ miniſter eſt ſolus & omnis ſacerdos, habens autoritatem abſoluendi, vel ordinariam vel ex commiſsione ſuperioris. Præterea illud idem diffinitur in Concilio Tridentino, Seſsione. 14. capitul. 6. Item Cano. 9. & Cano. 10. Item probatur quia ſolis apoſtolis dictum eſt, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur 141

Confeſſio ſacerdoti facienda.

eis, Et quodcũque ſolueris ſuper terr. & ſoli Petro, paſce oues meas. Confirmatur ex vſu eccleſiæ: nam ſolis ſacerdotibus quando ordinantur dicuntur illa eadem verba quæ Chriſtus apoſtolis dixit, ſcilicet, Accipite poteſtatem ligandi & abſoluendi. Hæreſis fuit Vualdenſium, vt refert Marſilius. 4. q. 12. dicentium: ꝙ indifferenter poterat quilibet cõfiteri cui vellet. Dicit etiam, quòd in aliquibus locis illi qui damnabantur ad mortem non permittebantur confiteri ſacerdotibus, ſed laicis: quod quidẽ eſt error intolerabilis. Sed de his in materia de clauibus dicemus.

142 QVAERITVR, vtrùm venialia poſsint laicis confiteri? Reſpon. ꝙ talis confeſsio non erit ſacramentalis, ſed proficiet ſicut cùm vnus laicus recitat cum alio horas canonicas, dicit confeſsionem generalem. Imò ipſe ſacerdos cùm celebrat, abſoluitur de venialibus à laico in confeſsione generali autoritate

ritate eccleſiæ, quæ habet poteſtatem ſupra venialia: ſicut per tunſionem pectoris, vel aquam benedictam. Quia licèt talis confeſsio nõ ſit ſacramentum, eſt tamen quoddam ſacramentale.

QVAERITVR, vtrùm cõfeſsio mortaliũ poſsit fieri laico? Reſpondet Magiſter ſenten. 4. d. 17. & Sanct. Tho. ibidem. q. 3. & in additionibus. q. 8. art. 2. quòd in neceſsitate, vrgente periculo mortis, confeſsio etiã mortaliũ eſt facienda laico. Magiſter in litera allegat Auguſtinum dicentem. Tanta vis confeſsionis eſt, vt ſi de eſt ſacerdos cõfiteatur proximo. Et Beda. Sed & grauiora coæqualibus pandenda ſunt, cùm deeſt ſacerdos & vrget periculum. Hãc opinionem tenẽt communiter omnes docto. Durand. Palude, Ricardus, Gabriel, Maio. Marſili. Sed Scotus ibi dicit, quòd in caſu licitè fit laico, ſcilicet, quãdo ab eo ſpero conſiliũ, vel maiorẽ peccatorũ dolorẽ: ſed cæteris partibus 134

Cõfeſsio mortaliũ an poſsit fieri laico.

melius eſt non facere. Et in.4.d.14.ar. 2.in fine dicit etiam Scotus, Dubiū eſt an talis cõfeſsio ſit in detrimētum ſalutis, quia talis diffamat ſe ſine vtilitate, ergo non eſt opus ſic confiteri. Ipſe libenter negaret, niſi moueretur dictis Sanctorū, ſed plus ſanctis credendū eſt, quā vni rationi leui. Et tenendum eſt omnino, quod licet confiteri laico in tali neceſsitate, licèt hoc multùm abierit a conſuetudine: quam credo antiquis temporibus magis in vnu fuiſſe. Nunc etiam fit aliquando, vt in naufragio. Ad argumētum verò Scoti, nego, quòd talis diffamat ſe, nam etiam extra cõfeſsionem poſſum dicere peccatū meum: vt detur auxilium, vel conſilium. At dices hoc eſſe verum, quia ſequitur inde aliqua vtilitas, Dico, quòd etiā in confeſsione facta ſeculari eſt aliqua vtilitas, ſcilicet ſubiectio ipſa, qua ſe ſubijcit homini laico propter Deum, eſt pars ſatisfactionis. Et etiam propter verecundiam

Si autem timeretur infamia, aut reuelatio confeßionis, tunc nec ſacerdoti eſſet facienda. Sic verò hoc dicimus licitum: vt nullo modo dicamus præceptum. Vnde malè ſumma Angelica & alij, ſumiſtæ imponunt magiſtro, & S. Tho. quòd dixerunt eſſe præceptũ. Nã. S. Thom. dicit, ꝙ poteſt fieri: & in ſolutione ad primum dicit ꝙ debet fieri ſed tamen hoc verbũ non dicit præceptũ. Laicus autem qui ſic confeßionẽ audierit, nullo modo debet abſoluere, quia non habet poteſtatem, nec poſſunt ei committi claues: eccleſia enim non habet poteſtatem ſupra peccata mortalia niſi per ſacramenta, ideò talis non debet abſoluere, ſed deprecari. Si autem de facto abſolueret, nihil faceret: ſed non manet irregularis: quia cùm irregularitas ſit pœna iuris poſitiui, & in iure non ſit expreſſum, ꝙ talis incurrat irregularitatem, non incurrit. Quia in cap. is qui de ſententia ex-

com

cõmunica.libr.6.ponitur regula generalis, quòd nullus incurrit irregularitatem propter quodcunque delictum nisi ſit in iure expreſſum. Et ita tenet Sylueſt.verbo, Confeſſor. 1. & Palud. 4.diſtinctio.17.quæſt. 3. Veruntamen omnia prædicta admitti poſſunt, ſi ſermo ſit de confeſsione non ſacramentali. Cæterùm ſi de ſacramentali confeſsione ſermo fiat, firma fide tenendum & dicendum eſt confeſsioné ſacramentalem nunq̃ fieri poſſe laico, ſed duntaxat ſacerdoti, qui charactere ſacerdotali inſignitus ſit. Sic enim diffinitur in concil. Triden, Seſsio.14.de pœnitentia.can.18.cuius verba ſunt. Si quis dixerit non ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros abſolutiõis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum, Quæcunq; ligaueritis ſuper terrã erunt ligata & in cælo, & quæcunq; ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælo. Et quorum remiſeritis peccata remittuntur

tur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, anathema ſit.

QVAERITVR, an ſacerdotes in peccato mortali exiſtentes, poteſtatem habeãt abſoluẽdi pœnitẽtes in confeſſione ſacramentali. Et proinde verã & realẽ abſolutionem conferant, cum actualiter abſoluunt? Rñdetur affirmatiuè, & ita firma fide tenendum eſt. Sic eñ diffinit in can. 10. ꝓximè allegato. cuius verba ſunt. Si qs dixerit ſacerdotes q in pctõ mortali ſunt poteſtatẽ ligãdi & ſoluẽdi nõ habere, anathema ſit. 144

QVAERITVR, vtrùm cõfeſsio poſsit fieri cuilibet ſacerdoti, vel ſoli proprio? Reſpon. qꝫ ſolùm proprio. Patet ex. c. omnis vtriuſque ſexus, vbi hoc præcipitur. Item qa cum ſacerdos ſit iudex, oportet quòd habeat iuriſdictionem. Si eñ iudex ſuperior diceret alicui, yo te hago alcalde, nihil eſſet niſi ei daret ſubditos, ergo etiã in confeſsione. Poteſtas eñ iuriſdictionis non poteſt 145

Cõfiterĩ debem⁹ ꝓprio ſacerdoti.

teſt eſſe ſine ſubditis. Ideò oportet cõ fiteri ꝓprio ſacerdoti. Sed q̄s eſt iſte ꝓ prius ſacerdos? Reſpõ. ꝙ Papa. Ep̃s, C. ratus, & quicun q; ex officio ſuo habe curã animarũ: ſiue hoc ſit ex electione vt Priores, & Abbates in religione. Superior non eſt ordinarius niſi mortuo priore, vel amoto. Aliqui doctores vo cant propriũ ſacerdotẽ omnẽ cum qui poteſt confeſsionẽ audire, ſiue hoc faciat ex officio, ſiue ex ſola cõmiſsione. Sed vtrum in abſentia ſacerdotis ꝓprij, vel quando pœnitens ex rõnabili cauſa nõ vult cõfiteri ꝓprio ſacerdoti (excludimus oĩa priuilegia, & loquimur ſtando ſolùm in iure cõi) liceat alteri confiteri? V. g. fugit proprius ſacerdos tempore paſchatis, vel in ipſa confeſsione ſoliciat fœminam ad ſtrupum: petit illa licentiam, vt poſsit alteri confiteri, & ille non vult concedere: & vrget neceſsitas ſumendi euchariſtiam, quia eſt paſcha, & ſi non ſumat excõmunicabit.

est dubium quid faciet? Respondent ad hoc multi summistæ, quòd in tali casu manet libera ad subijciendum se cuicũque voluerit sacerdoti: quia in dicto capit, omnis vtriusque. dicitur, ꝙ petat licentiam à proprio sacerdote, & sic illa petendo facit quod in se est, ac proinde manet libera. Sed hæc opinio non est secura quia non habetur in iure: & ideò doctores qui saniùs sentiunt de hoc, dicunt, quòd mulier in tali casu debet recurrere ad superiorem, & dicere quòd non expedit sibi confiteri tali sacerdoti & superior debet credere. Et quòd non possit alteri confiteri sine licentia superioris patet, quia mortuo sacerdote proprio, non posset talis mulier confiteri cuicunque indifferenter: ergo nec poterit in casu prædicto, Item si proprius sacerdos excommunicaretur, nõ posset alteri confiteri, nisi de licentia superioris, ergo nec in isto casu. Sed quid si non sit recursus ad superiorem,

vel

vel ſi ille neget licentiam? an licebit
confiteri cuicunque? Palud. in. 4. diſt.
18. quæſt. 3. articu. 3. dicit, ꝙ in tali ca
põt liberè confiteri cui voluerit. Idem
Syluester in ſumma. Ratio palud. est
quia ipſe tenet, quòd ſtando in iure di
uino quilibet ſacerdos poteſt quem
bet abſoluere, & quòd modò non poſ
ſit, eſt propter ius humanum: & cùm ec
cleſia nõ poſsit hoc ius ſtatuere, vt ſci
cet confiteatur cum ſcandalo, ſequitur
quòd tunc ceſſat ius humanum, & ſtan
dũ eſt iuri diuino. Sed verè hæc ſenten
tia eſt mihi multũ dubia: & primò pu
to ꝙ ſit cõtra S. Thom. 4. d. 17. q. 3. ar.
quæſtiũcula. 4. ad. 5. vbi ad literam pro
ponit caſum: & dicit, ꝙ ſi ſuperior nol
committere facultatem, idem eſt iudi
cium acſi non habeat copiam confeſſo
ris. Quod etiam dicit in additionibus
quæſt. 8. articul. 4. 5. Hoc etiam Caieta
in ſumma, verb. Abſolutio. Vnde pro
pter nullũ caſum (excepto mortis arti
culo

culo) poterit abſoluere, qui ante illam neceſsitatem non poterat abſoluere: & meritò quidem. Nã alias quilibet fingeret ſibi cauſas alteri confitendi. Et conſequenter dico de caſibus reſeruatis, ꝙ ſi ſuperior nõ vult concedere (licèt malè faciat) inferior non poterit abſoluere. Vt patet ex Concilio Tridentino. Seſsione. 14. de pœnitentia. capitul. 7. & Cano. 11. cuius canonis hæc ſunt verba. Siquis dixerit Epiſcopos non habere ius reſeruandi vbi caſus niſi quo ad externam politiam, atque ideo caſuum reſeruationẽ non prohibere quominas ſacerdos à reſeruatis verè abſoluat, anathema ſit. Dicit tamen Sanct. Thom. vbi ſupra ad ſextum (& eſt notandum) quòd male faciunt prælati qui in hoc reddunt ſe difficiles, & inijciunt laqueum animabus, nolẽtes dare licentiam abſoluendi. De illo autem quod dicit Palude, quòd ſtando in iure diuino quilibet ſacerdos poteſt quemli-

bet abſòluere, dicimus, quòd fortè hoc eſt falſum.

146 Cui non expedit proprio ſacerdoti cōfiteri qd faciendū.

SED quid faciet pœnitens cùm non poteſt obtinere licētiam à ſuperiori, & inſtat communio? Reſpondeo, ꝙ communicet ſecurè & tutè. Idem enim eſt iudicium tunc de eo acſi careret confeſſore (y vaya ſobre mi conſciencia.) Sed tamen aduertant tales, quòd habeāt rationabilem cauſam non confitendi proprio ſacerdoti: verecundia enim, aut timor, ꝙ ille mallè de me ſentiet poſtea, non eſt cauſa ſufficiens: quia alias nemini teretur confiteri, quia ſemper accidunt illa cuicunque confitearis. Si tamen nocuit iam mihi, vel indirectè me diſſamauit, iam iſta eſſet cauſa legitima non confitendi ei.

147 Qui cōicauit in paſchate ſine præuia confeſsione.

SED dubitatur, an poſtquàm talis communicauit in paſchate, abſoluatur à præcepto confeſsionis? Videtur quidem quòd ſic, quia non ſtetit per eum quin confiteretur, cùm non pe-

caue-

cauerit non confitendo, ergo. Item quia confeſsio videtur inſtituta propter euchariſtiam, cùm ergo iam communicauerit, videtur quòd illo anno non teneatur iterum confiteri. Sed dico, quòd adhuc tenetur confiteri habita opportunitate, quia adhuc poteſt implere præceptum de confeſsione ſemel in anno.

an teneatur illo anno cõfiteri.

MAIVS dubium eſt, an qui ex legitima cauſa nõ communicauit in paſchate, quia fuit in mari, vel in via, poſteà teneatur ad cõmunionem? Palu. videtur dicere, ꝙ ſic, ſed certè neſcio quare, cùm ſit determinatum certum tempus ad communionẽ & tranſierit iam. Item confirmatur, quia ſi ex malitia nõ communicauerit, poſteà non tenetur communicare: ergo multò minùs ſi ex legitima cauſa non communicauit. Cõſulendum eſſet talibus vt communicarent: ſed credo, quòd non tenerentur iam pro illo anno.

148 Qui ex cauſa nõ communicauit ĩ paſchate an teneatur poſtea cõmunicare.

149 QVAERITVR, an ex cõmiſsione proprij ſacerdotis liceat cõfiteri alteri? Reſpon. ꝙ ſic, vt patet ex dicto cap. omnis vtriuſque. Et ſic eſt conſuetudo eccleſię, & vtinam non eſſet tanta: quia iam nullus curatus audit ſubditos ſuos. Hanc autem cõmiſsionem & licẽtiam poteſt dare curatus, Epiſcopus, Papa. Sic habetur expreſsè, de officio ordinarij cap. inter cætera. Et qui ſic confitentur clerico ſeculari, vel fratribus expoſitis non tenentur iterum confiteri proprio ſacerdoti: vt determinatum eſt ab Alexandro. 4. & à Clemente. 4. & à Benedicto, & à Ioan. 22. & à Calixto.

Excommiſsione ꝓprij ſacerdotis poſſum' alteri cõfiteri.

150 QVAERITVR, vtrum qui habet autoritatem eligendi confeſſorem per bullas, vel alia ratione quacunq;, poſsit eligere ſimplicẽ ſacerdotem nondum expoſitum ad audiendas confeſsiones. Reſpondeo abſolutè (eſto dubitent canoniſtæ) ꝙ ſine quocunq; ſcrupulo poteſt eligere quencunq; ſacerdotem, vt etiam

An virtute indulgentiarũ poſsim' eligere confeſſorem ſimplicẽ ſacerdotẽ.

etiam dicit. Caiet. in ſumma. verb. Ab ſolutio. Ratio eſt quia in hoc ſolo differt ſacerdos habens iuriſdictionem à non habente, ꝙ ille habet materiam hic autem non, & huic nihil aliud deficit ad hoc vt poſsit abſoluere, niſi materia circa quam exerceat poteſtatem quã accepit, dum fuit ordinatus. Cùm ergo recipienti bullas detur poteſtas ſubijciendi ſe cui voluerit, iam talis ſacerdos electus habet materiam & iuriſdictionem circa illum: vnde nihil ſibi deficit. Et ita tenendum eſt. Sed quanuis prædicta doctrina fuerit ante concilium Tridentinum inter doctores triuialis multũq; recepta, iam tamẽ poſt prædicti Concilij determinationem, Seſsione: 23. cap. 15. reformationis nullus eſt idoneus ad confeſsiones audiendas reputandus niſi beneficium parochiale habeat, aut ab epiſcopis per examen (ſi illis videbitur neceſſarium) aut aliàs idoneus iudicetur, & approbatio-

nem ab eis obtineat.

151 QVAERITVR, vbi poteſt proprius ſacerdos audire confeſsionem. Vtrum curatus vnius epiſcopatus poſsit audire ſibi ſubditũ in alio epiſcopatu? Reſpõ. omnino q ſic. Quia fit ſine ſtrepitu iudicij, & nemini fit iniuria. Et idẽ poterit frater præſentatus, & extra diœceſim, vt etiã determinauit Sixtus IIII. Et ſic quando duo fratres de licentia prælati peregrinantur, poſſunt ſe mutuò abſoluere: etiam cùm peruenerint ad alium epiſcopatum.

Sacerdos, proprius an extra ſuã diœceſim poſſit audire ſuorũ cõfeſsiones.

152 SED vtrũ hãc cõmiſsionẽ eligendi confeſſorẽ, facere poſsit habens curam animarum antequã ſit ſacerdos, vel ſacerdos excõmunicatus? Reſpon. de primo q ſic: quia habet titulũ: quanuis aliqui dicãt q illa eſt commiſsio iuris, ſed nihil de hoc curo. De excommunicato autem dico: quòd non poteſt, quia cõmiſsio illa eſt actus iuriſdictionis quem nõ poteſt excommunicatus habere

Copiam eligendi confeſſorem quis poſsit dare.

bere. Sed vtrùm commiſsio talis legitimè facta ſuperueniente excommunicatione cõmittẽtis ſpiret & ſit nulla, vel an duret dubium eſt. Palud. putat probabile, quòd durat. Quia illum actum fecit legitimè. Et credo, ꝙ ita eſt in vſu, quòd talis commiſsio valeat.

QVAERITVR, vtrũ ratihabitio det facultatem abſoluẽdi? V.g. ego non ſum expoſitus ab epiſcopo, credo tamẽ ꝙ ſi adirem eum & peterem poteſtatẽ audiendi cõfeſsiones daret mihi: eſt dubium an modò poſsim audire pœnitẽtem, & poſteà dicere epiſcopo vt ratum habeat quod feci. Reſpondeo ſecũdum quoſdam, quod duplex eſt ratihabitio, vna de futura, putà quia quando epiſcopus cognouerit ſufficiẽtiã meam ratum habebit quod feci, & hæc ratihabitio nõ ſufficit: & in hoc oẽs cõueniũt. Quia eſſentia ſacramenti nõ pẽdet ex aliquo futuro: ac proinde ratihabitio non pôt validare aut inualidare ſacramentum. 153

An ratihabitio det facultatẽ abſoluẽdi.

Alia eſt ratihabitio de præſenti, putà quia epiſcopus de præſenti vult vt audiam: licèt nihil mihi dixerit, ſed ego ſcio eius voluntatem, & hæc ratihabitio dicunt aliqui quòd ſufficit. Quia epiſcopus committit vicem ſuam per voluntatem. Ego neſcio an hoc ſit ſecurum: nam quanuis iudex eccleſiaſticus libere exerceat ſuam iuriſdictioné, tamen quia hæc poteſtas eſt in foro eccleſiaſtico, videtur quòd non poſsit exercere illam iuriſdictionem, niſi actu exteriori: ſicut non poſſet epiſcopus actu interiori excommunicare, vel abſoluere aliquem: vt tenet probabilior & verior opinio. Si ergo hoc verum eſt (vt ego credo) ſequitur quòd per ſolam complacentiam Epiſcopus non poteſt communicare ſuam poteſtatem: cùm hoc ſit vti iuriſdictione. Sic igitur ſi per ratihabitionem de præſenti intelligamus complacentiam virtualem, putà quia ſi nunc diceretur Epiſcopo placeret

ret ei: dico certè quòd talis ratihabitio non ſufficit. Si autem ſignis exterioribus epiſcopus alias oſtenderet: vt ſi dixerit, gauderem quòd talis audiret confeſsionem, dico ꝙ videtur mihi quòd talis ratihabitio ſufficiat. Exemplum: clerici ſeculares habent, hanc libertatem, ꝙ indifferenter confitentur quibuſcunque non ex iure diuino, nec ex commiſſione Papæ, ſed quia prælati hoc vident & ſciunt & tacent, quod eſt quoddam exterius, & hoc ſufficit. Et ſic in propoſito dico quòd ſola ratihabitio de præſenti, oſtēſa ſignis exterioribus ſufficit ad confeſsiones audiendas.

SED quæritur in particulari, quis 154
ſit proprius ſacerdos? Reſpond. quòd Quis ſit proprius ſacerdos
proprius ſacerdos Papæ eſt ille quem ipſe elegerit, qui habet poteſtatem abſoluendi eum ab ipſomet papa. Et qui ſunt de familia Papæ, habent pro cõfeſſore ipſum pœnitētiarium. Cardinales qui non ſunt epiſcopi, nullum habent à

iure, ſed ex conſuetudine, nec ſubſunt curatis, nec epiſcopis, ſed papæ. Et eorum familia (etiam de cõſuetudine) non ſubeſt ordinarijs, ſed illis quibus cardinalis voluerit. Cardinales verò epiſcopi, & omnes epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchę habent à iure poteſtatem eligendi, quencunque voluerint, & etiã familiæ eorum. Sed quando ſunt extra diœceſes ſuas, dicũt ſummiſtæ, quòd nõ poſſunt prouidere familijs ſuis, ꝙ confiteãtur cum quibus voluerint: neſcio de hoc. Sed iam ſunt tot bullæ quòd nõ eſt opus horum. Sed quid de curato? Dico quòd quando in vna parochia ſunt duo vel plures ordinarij, ſtando in iure diuino quilibet eſt eius ſacerdos. Si verò fuerit vnus, habet pro ordinario ſolum epiſcopum. De conſuetudine autem ſemper curati confitentur cui volent. Sed contrà, quia in capi. ſi epiſcopus. de pœnitentijs & remiſsionibus. libro. 6. dicitur expreſsè, quòd nulla conſuetudine

dine introduci poteſt q; quis eligat ſibi confeſſorem ſine ſuperioris licentia. Cùm igitur curati, à iure non habeant talem facultatem, ergo non poſſunt habere eam à conſuetudine. Sed dico, quòd eorum confeſsio eſt rata, & valida. Quia habent facultatem à prælatis videntibus, & tacentibus, ac per hoc cõſentientibus. Vnde ſi epiſcopus eis hoc prohiberet, non poſſent ſine dubio facere. Vtrùm autem curatus poſsit eligere fratrem ſiue ſacerdotem non confeſſorem? Reſpõdeo, quòd ſic ſine dubio. Quia iam talis ſacerdos ſecularis habet talem licentiam ab Epiſcopo, vt confiteatur cuicunque voluerit. Sed tamen de hac re dic ſicut habes ſupra in fine quæſtionis. 150.

DE ſecularibus nihil prſus eſt in iure ſed de vagabũdis (mudauiẽtos) qui ſemper ambulant, dico q; tales qui nullibi habitãt, confiteãtur cuilibet confeſſori: quia nõ eſt maior ratio de vno quàm de alio. 155

Itinerantiũ & peregrinorũ qs ſit proprius cõfeſſor.

alio. De alijs qui quærũt ſibi domicilium & nondũ ſtatuerũt vbi pedẽ figant, idẽ eſt iudicium, ſicut de vagabundis. Nec quantum ad hoc oportet reſpicere vbi hoſpitentur: nõ enim tenentur confiteri parocho illius parochiæ. De peregrinis verò qui veniunt ab alijs locis, vt viatores, & mercatores, &c. Dicẽdum, quòd ſi habeant expreſſam licentiam peregrinandi à ſuo proprio ſacerdote (ſicut aliquando fuit conſuetũ) iam poſſunt eligere ſibi quẽcunq; confeſſorem ex licentia interpretatiua proprij ſacerdotis. Sed ſi non habeant licentiam, vt mercatores qui habent alicubi habitationem animo manendi quinque vel 6. menſibus, dico quòd debent confiteri proprio ſacerdoti, ad cuius parochiam pertinet domus quam inhabitant: de viatoribus autem, & peregrinantibus ſine licentia ſuorum ſacerdotum ordinariorũ, dico, ꝙ debet confiteri in eccleſia cathedrali, & non poſ-

ſunt

ſunt eligere confeſſorē ad libitū, ſi non habeant aliam autoritatem, aut facultatem. Reliqua vide apud ſummiſtas.

156 In articulo mortis, an qlibet poſſit à quolibet ſacerdote abſolui.

QVAERITVR, vtrū in articulo mortis quilibet poſsit abſolui à quolibet ſacerdote? Reſp. ꝙ ſi proprius ſacerdos ſit ibi, vel poſsit facilè haberi, non poteſt niſi aè eo abſolui, capiendo largè propriū ſacerdotem. Sed ſi proprius ſacerdos non ſit præſens, quilibet poteſt abſoluere. Hoc habetur expreſsè cap. eos. de ſententia excōmuni. libr. 6. Et extra de furtis. capi. fures. Et de officio ordinarij, capit. paſtoralis. Et ita tenent oēs cōmuniter. Patet etiam ex vniuerſali cōſuetudine eccleſiæ. Qñ enim Papa, vel epiſcopus reſeruant aliquē caſum, ſemper dicūt, niſi in articulo mortis: vbi etiā poſſunt abſolui non ſolùm à peccatis, ſed etiā à cenſuris. Vtrū autē ſit de iure diuino, ꝙ in tali caſu poſsit quilibet quemlibet abſoluere, parum intereſt. Palu. 4. d. 20. q. 1. art. 2. ad. 1. dicit quód

quòd eſt de iure diuino. Maio. quòd de iure poſitiuo. Capr. diſt. 19. q. vnica, & Durandus, dicũt cum Palude, & quòd papa non poteſt hoc impedire Probabile eſt vtrũque, probabilius tamen puto, quòd eſt de iure poſitiuo.

157 An confeſsio informis ſit valida.

QVAERITVR, an confeſsio informis (.i. in qua propter aliquod impedimentum nõ confertur gr̃a) teneat: & ſit valida: & per conſequens non iterãda? Eſt quæſtio ardua, & de qua plurimũ nr̃a intereſt, tractaturq; à doctoribus. 4. d. 17. & ibi à. S. Tho. q. 3. & in additionibus. q. 9. art. 1. Reſpondeo quòd de hoc ſunt duæ opiniones extremæ, & vna media. Opinio prima eſt Maio. 4. diſtin. 17. q. 3. 1. &. q. 9. dicentis, ꝙ oĩs confeſsio informis eſt iteranda, vel ſi non fuit integra, vel ſi habuit defectum contritionis. Secunda opinio extrema eſt Bernardi de Ganaco in impugnationibus Gotfredi quodlibeto. 5. q. 14. vbi ait, quod ſi confeſsio fuit integra-

gra & ex quocunque defectu nō detur gratia non eſt iterāda, ſed erit valida & verum ſacramentum: etiā ſi placeāt peccata preterita, & proponat ampliùs peccare: quia ibi eſt materia & forma. Alia eſt opinio media veriſimilior: quam tenet Capreo. diſtin. 17. quæ. 2. & Caieta. in quæſti. quam de hoc facit & in ſumma. Oportet igitur hìc vitare duos errores extremos. Primus, nulla confeſsio informis eſt iteranda: eſt error intolerabilis. Secundus, omnis cōfeſsio informis eſt iteranda. Nam ſi hoc eſſet verū cùm homo non poſsit eſſe certus, an confeſsio ſit integra, oportet in infinitum confiteri: & nulla eſt tranquilitas. Cùm igitur aliqua confeſsio informis ſit iteranda, & aliqua non: ad quærendū quæ ſit valida, & quæ non, non eſt attendendum, an ſit informis vel non: ſed debemus reſpicere ad cauſas informitatis. Item notandum, & cauſæ informitatis tenent ſe ex parte pœnitentis, ſup-

peſito, ꝙ ſacerdos ſit legitimus. Duo autem ſunt actus pœnitētis ante abſolutionē, ſcilicet, contritio & confeſsio, & ex his duobus debet prouenire informitas. Si igitur ſit informis quia ex intentione non eſt integra, confeſsio non eſt valida, ſed eſt iteranda: & in hoc oēs conueniunt. Et ita firma fide tenēdum eſt. Sic em̄ difinitur in concil. Florenti. ſub Eugenio. 4. vbi ſic habetur. Oris confeſsio ad quam pertinet vt peccator omnia peccata ſua quorum memoriā habet ſuo ſacerdoti confiteatur. Prætereа in Concilio Tridentino, Seſsione 14. capitul. 5. idem dicitur, & item in Cano. 7. Cuius verba ſunt. Si quis dixerit ſacramento pœnitentiæ ad remiſsionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia qnorū memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiā occulta, & quæ ſunt contra duo vltima decalogi præ-
cepta

cepta & circunſtantias quæ peccati ſpeciem mutat, &c. anathema ſit. Et iterũ ibidẽ. Cano. 8. confirmatur hoc ipſum. Si verò ſit informis ex defectu contritionis, ſiquidem nullum dolorem habet nec aduertit, dico quòd talis confeſſio eſt nulla, proinde iteranda.

Quia eſt inualida, non propter defectum contritionis, ſed quia non eſt vera confeſsio. Nam cùm confeſsio ſit pars ſacramenti pœnitentiæ, & pœnitentia dicat deteſtationẽ, oportet quòd ipſa confeſsio ſit deteſtatio, & quia talis ſolùm recitat peccata ſua alteri, non confitetur, ſed ſimulat ſe confiteri, & nouum peccatum incurrit. Si verò habeat dolorem, ſed tñ imperfectũ: vel ille percipit ſe non habere ſufficientem dolorem, vel non percipit. Si pœnitens non percipiat, dico quòd talis confeſsio eſt valida, ac proinde non iteranda. Et hoc eſt notandum ad tollendos ſcrupulos. Si autem percipiat imperfectionem do-

loris, vel aduertit eſſe peccatum confiteri cum illa imperfectione doloris, vel non. Si ſecundum, talis confeſsio eſt valida; quia integra ex intentione. Si vero aduertat eſſe peccatum ſic confiteri, & confiteatur imperfectionem illam doloris, etiam talis cõfeſsio eſt valida: quia eſt integra & vera. Si autem percipiens ſe non habere perfectum dolorem, & intelligens illud eſſe peccatum & fictionem non confiteatur de illo, dico, quod talis confeſsio eſt inualida & iterãda: quia eſt dimidiata ex intentione.

158 An dolens imperfectè ſit abſoluendus.

SED vtrùm ſacerdos debeat abſoluere eum qui imperfectè dolet, & confitetur illam inſufficiẽtiam doloris? Et videtur quòd ſic, quia talis confeſsio eſt valida & non iteranda ſecũdùm Sanct. Thom. & Caietan. & omnes: ſi autem non abſoluatur eſt iteranda, ergo. Reſpondeo, quod ſacerdos nullo modo debet talem abſoluere. Patet manifeſtè, quia eſſet fictio in abſolutione, quia ibi non remit-

remittuntur peccata: & tamen ſacerdos dicit, ego remitto tibi peccata. Item talis ſacerdos abſoluit autoritate Dei, ſed Deus non abſoluit, ergo nec ille debet abſoluere. Item qui ſcit imperfectionẽ doloris ſui, peccat peccato ſacrilegij petendo abſolutionem, ergo multò magis ſacerdos abſoluens. Sed contrà, quia ſic confitentur omnes, quòd non habent dolorem ſufficientem. Reſpondeo quod ita confitentur propter ſuſpicionem quam habent. Si autem ſcirem me imperfectè dolere, nec deberem petere abſolutionem, nec ſacerdos deberet abſoluere. Confeſsio autem quæ ſecũdùm S. Tho. eſt valida & non iteranda, eſt quando non percipit imperfectionem doloris & abſoluitur, vel quando de facto abſoluitur à ſacerdote ſciente imperfectionem doloris eius.

QVAERITVR, vtrũ oporteat, ꝙ confeſsio ſit integra? Reſpon. ex ſententia omnium ꝙ ſic, aliàs eſt inualida 159 Cõfeſsio an integra eſſe debeat.

ſacrilega,& iteranda.Probat S.Thom. quia ſacramentum pœnitentiæ eſt quædam medicina contra morbum: at medicus non poteſt conuenienter admouere medicinam niſi intelligat totum ſtatum infirmi.Si enim habet dolorem ſplenis, & iecoris, & medicus intelligat primũ ſolum,poterit applicare medicinas quæ noceant iecori. Et idem de medicina ſpirituali cõfeſsionis, &c. Item probatur ex vſu eccleſiæ, nullus eñ ſacerdos audiret dimidia peccata. Item quia ſacerdos abſoluit autoritate Dei, Deus autẽ non abſoluit ab vno & non ab alio) impiũ eñ eſt à Deo ſperare dimidiã venia) ergo.Itẽ confeſsio dimidiata eſt contra formã abſolutionis, qua dicitur,ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis,ergo.Item Auguſtinus dicit ꝙ eſt hypocrita qui non confitetur omnia peccata ergo. Hæc cõcluſio eſt inuiolata, & quæ ab omnibus tenetur.

160 SED quid ſi confeſsio ſit dimidia-

ta ex negligentia, quia non fecit ſuffi- cientem indagationem? Reſpondeo, ꝙ ſi ex induſtria fuerit negligens, vel ſi ita contemnat vt quaſi ex induſtria no lit examinari: ſicut qui per vnũ annum integrum non eſt confeſſus, & accedit ad confeſsionem ſine aliqua examina tione, volens quidẽ ꝙ omnia venirent ad eius memoriã: talis confeſsio eſt nul la, ac proinde iteranda. Si verò omiſerit aliquod peccatum, putans ſe feciſſe ſuf ficientem indagationem, etiam ſi illa ignorãtia ſit culpabilis mortaliter, con feſsio eſt valida, & non iteranda.

Cõfeſsio ex negligentia dimidiata an ſit reiteranda.

QVAERITVR, quæ diligentia requiritur ad examinandum conſcien tiam? Reſpond. ꝙ rarò contiget, quòd velit quis examinare conſcientiã ſuam & putet ſe feciſſe ſufficientem diligen tiam quin fecerit diligentiam. Quãdo eſt mihi probabile, ꝙ ſatis eſt quod fe- ci: obliuio peccati non erit culpabilis, mortaliter ſaltem. Reſpondeo, quòd 161

Examinatio cõſcientiæ ad cõfeſſionem. quãta diligẽtia facienda.

præceptum de examinatione conſcientiæ eſt idem quod de confeſsiõe, & de integrè confitendo: & quia nemo integrè confiteretur ſi non examinaret ſe, tenetur examinare: & non examinans, peccat contra præceptum confeſsionis. Et cùm non ſit peculiare præceptũ de examinatione, videtur quòd non tantùm teneatur ad illã ſicut ſi fuiſſet particulariter præcepta: maior enim diligentia requiritur circa finem quàm circa medium. Satis eſt ergo ꝙ faciam diligẽtiam mortalem: ſicut nec teneor ſcribere peccata, vt recorder eorum. Si autẽ particulari præcepto teneretur recordari peccatorum, teneretur etiam ſcribere. Dico igitur, quod poſtquàm quis voluit adhibere diligentiam, & fecit aliqualem examinationem, quam putauit ſufficientem, credo quòd rarò talis cõmittet negligentiam. Dico prætere a, ꝙ quando ego puto, quòd per paruam diligentiam vlteriorem ve-
niam

niam in cognitionem peccatorum præteritorum, ſi non fecero illam, non erit ſufficiens examinatio. Sufficit autem taliter examinare, ꝙ etiam ſi amplius examinaſſem per aliquod aliud tempus, non recordaret aliorum. Et hęc ſufficit Credo ꝙ viri qui habent animæ ſuæ curam nunquam deficiunt in examinatione conſcientiæ ſuæ. Et hac concluſione qua diximus ꝙ confeſsio nō integra ex negligentia examinationis, non eſt valida: ſequitur ꝙ confeſſor non debet audire eum qui nō fecit examinationem, maximè ſi ſit de numero eorum qui nō cōfitentur niſi ſemel aut bis in anno. Satis eſt tamen ꝙ adhibuerit aliquam diligentiam, nec eū qui dicit ſe aliquam feciſſe debet confeſſor repellere.

QVAERITVR, qui habet peccata reſeruata, & etiam nō reſeruata, quo modo poterit confiteri, maximè ſi ſuperior nolit audire niſi reſeruata? De hoc caſu fuit multa contentio apud do- 162

Reſeruatus caſus habēs an dimidiabit cōfeſſionem.

ctores, quorũ opinionibus dimiſsis, dico ꝙ ſi iudex ſuperior & inferior ſint præſentes: inferior non pōt abſoluere à nõ reſeruatis: niſi prius petatur facultas abſoluẽdi à reſeruatis. Quia integritas confeſsionis eſt de iure diuino. Cùm ergo ille pœnitens habeat copiam confeſſoris cui poteſt integrè confiteri, non poteſt inferior diuidere abſolutionem. Sed ſuperior audiat omnia peccata vel det facultatem abſoluendi à reſeruatis. Hoc Adrianus. quæſ. 4. de confeſsione. Et Durandus. 4. diſt. 17. quæſt. 15. contra Caietanum. Et ſi ſuperior ſolùm abſoluat à reſeruatis, talis abſolutio non eſt ſacramentalis, ſed ſolùm à cenſuris, & datur facultas inferiori vt abſoluat ab omnibus peccatis. Si autem ſuperior abſens ſit, & non pareat facilis aditus ad eum, & inſtet tempus celebrandi, inferior abſoluat à non reſeruatis, & pro reliquis expectet abſolutionem ſuperioris: niſi illis ſit annexa

aliqua excommunicatio reſeruata: vt in caſibus bullæ de cœna domini: tunc enim non debet abſolui à non reſeruatis. Et hæc eſt contra Adrianum, & Durandum. Et in hoc caſu intelligo. D. Thom. loqui in additionibus. quæſt. 9. articul. 2. ad. 4. Sed quid faciendum quã do ſuperior non vult committere facultatem abſoluendi à reſeruatis, & non expedit confiteri eidem? vtrum inferior poſsit tunc abſoluere à reſeruatis? Reſpond. vt iam ſuprà dictum eſt, quòd in quocunque caſu poteſt quis licite non confiteri ſuperiori, licet accedere ad ſacramentum euchariſtiæ, ſi ſuperior nolit committere facultatẽ abſoluẽdi: nihilominus inferior non poteſt abſoluere à reſeruatis. Pœnitens tamen poterit accedere ad euchariſtiam ita bene ac ſi eſſet decies abſolutus. Quia in tali caſu eſt cenſendus non habere copiã confeſſoris: tamen habita opportunitate tenetur confiteri de illo peccato. Videat

q sic omnino eadem ratione, si ex opere operato habet abſolutio remittere peccata, non eſt dubium quin remittatur iſti, quia confitetur modo quo poteſt: ſicut de peccato dubio de quo confiteor cũ dubitatione, remittitur mihi, eſtò illud fecerim: Et confirmatur, quia aliàs fruſtra eſſet confeſsio in generali, accuſo me de alijs quorum memoriam non hábeo cuius contrarium habet cõmunis vſus piorum hominum.

166 QVAERITVR, vtrũ liceat in cõfeſsionibus generalibus de peccatis aliàs cõfeſsis, dimidiare cõfeſsionem, & dimittere aliquod turpe dicendo reliqua? Videtur quidẽ q non, quia integritas cõfeſsionis eſt de iure diuino, ergo non licet celare aliquod peccatum? Reſpondeo, quòd non licet celare aliquod peccatum mortale, & ſi celatur non eſt confeſsio, ſed fictio circa materiã principalem ſacramenti. Non eſt dubium quin ſi quis velit generaliter confiteri &

An in cõfeſsionibus generalib⁹, liceat dimidiare cõfeſsionẽ d̃ peccatis confeſsis.

& dicat ſacerdoti ꝙ vult generaliter cõ fiteri de omnibus peccatis ſuis, ſi celet aliquod, peccat mortaliter, quia eſt fictio manifeſta circa principalem materiam ſacramenti, & mentitur perniciose, & decipit confeſſorem. Dico tamen ꝙ pœnitens poteſt ex peccatis iam confeſsis eligere aliqua quæ confiteatur aliquibus prætermiſsis, ſi nõ decipiat confeſſorem dicens illa eſſe peccata totius vitæ ſuæ. Nec ad confeſsionem generalem requiritur tanta conſcientię examinatio: & conſequenter poteſt fieri per plures dies, vt ſcilicet hodie cõfiteatur quinque peccata, cras ſex, &c.

QVAERITVR, vtrũ ex defectu ſatisfactionis, putà quia non impleui pœnitentiã mihi iniunctã à confeſſore ſit iteranda confeſsio? Multi ſummiſtæ tenent ꝙ eſt iteranda, inter quos Syluester. verb. cõfeſsio. primo. parrapho. 3. Quia quomodo imponet pœnitẽtiam oblitam vel neglectam qui non audierit de 167

An qnon impleuit pœnitentiam teneaĩ iterare confeſsionẽ.

rit de nouo peccatum. Syluester allegat Ricardum pro ſe, quē non vidi nūc. Allegat etiā Paluda. ſed potius videtur tenere oppoſitum. Reſpondeo igitur ad quæſtionem ſine quocunque dubio & ſcrupulo abſolutè, q̃ talis confeſsio non eſt iterāda propter pœnitentiam oblitam vel ex malitia neglectam. Patet quia confeſsio præcedens fuit iam valida, & per conſequēs fuerūt remiſſa peccata: ergo quicquid poſteà ſequatur, non efficiet eam inualidā ac iterandam. Et ita tenet maio. 4. d. 17. q. 6. dubio vltimo. Dicemus tamen aliquid de hoc in materia de ſatisfactione.

168 QVAERITVR, vtrùm ſi aliquis confiteatur ſacerdoti ignorāti quod ſit peccatum mortale (ſunt enim aliqui in mundo) teneatur iterare cõfeſsionem? Reſpon. primò, quòd ſi pœnitens eſt doctus quantum ad hoc quòd ſcit quale ſit mortale, & quale veniale: parum refert qualis ſit confeſſor, doctus ſcilicet,

An q con fitetur ſacerdoti ignoranti ſatisfaciat præcepto.

cet, an indoctus, nec tenetur iterare cõfeſsionem. Verum eſt tamen quòd ſi cognoſceret confeſſorem neſcire diſcernere inter peccatum & peccatum, debet illum inſtruere dicens, hoc non eſt mortale, hoc ſic, aliàs confeſsio non eſſet valida. Nam ſi ego dicerem, ego occidi hominem ſed bene feci, quia ille occiderat patrem meum, non eſſet confeſsio. Sic quoque confeſsio nõ eſt quando confeſſor audiens non intelligit eſſe peccatum mortale. Si verò tam pœnitens quàm confeſſor ignorent, ſi iſta ignorantia ſit circa ea quæ communiter ignorantur, talis non expedit: nulli enim contingit inter omnia peccata ſcire de quolibet, an ſit mortale, vel non. Si autem ignorantia ſit tanta ꝙ ſit eorum quæ à paucis ignorantur (vt quòd iuramentum falſum, vel quòd vindicare ſe de iniuria accepta non ſint peccata) crederẽ profectò ꝙ teneretur iterare confeſsionẽ. Quia confeſſor nõ intel-

intelligit peccata illius, ergo ille non cõ fitetur. Nam quomodo imponet pœnitentiam, aut quomodo abſoluet eum? Et hæc eſt communis opinio. Nõ oportet tamen formare nouos ſcrupulos, nã raro contingit talis ſacerdos confeſſor. Satis eſt enim ꝙ cõfeſſor ſciat communia ſcilicet homicidiũ, furtum, &c. eſſe peccata, & quòd ſciat dubitare.

169 SED quærit, an ſi cõfeſſor, alioquin ſapiens, non aduertat ad peccata pœnitentis, confeſsio ſit valida? Reſpondeo, ꝙ ſine dubio ex quacunque cauſa confeſſor non aduertat peccata pœnitentis, confeſsio eſt iteranda. Sed tamẽ pœnitens poteſt ignorare inuincibiliter an confeſſor audierit, vel non. Si tamen cõſtaret aliquo pacto, quòd confeſſor, vel non audiuit, vel non intellexit peccata, omnino tenetur iterare confeſsionem: quia prior fuit nulla.

Confeſſo re nõ aduertente ad pœnitẽtis peccata, an iteranda ſit cõfeſſio.

170 QVAERITVR, an liceat cõfiteri peccata ſemel cõfeſſa, & ſi ſunt, an cõ-

feſsio

feſsio ſecunda ſit ſacrameutum? Reſpõdeo, ꝙ de hoc ſunt opiniones. Scotus 4. diſtin. 18. ad primum dicit quòd ſic, hoc eſt, quòd talis confeſsio eſt valida, &meritoria: ſed tamen ibi non eſt ſacramẽtum aut aliqua virtus clauium, quia nõ poteſt eadem forma replicari ſuper eandem materiã: impoſsibile eſt enim vt eadem forma informet pluries eandem materiam. Item iudicium ſemel ritè factum non poteſt infringi, ergo non debet iterari (como ſe puede pleytear vna ſentencia en grado de reuiſta confirmada?) Contrarium tenet San. Tho. Bonauentura, Marſilius, Gabriel, Alexand. & Maio. & omnes quos mihi contingit videre. Et probatur, peccata oblita ſunt abſoluta ſacramentaliter, & tamen cùm veniunt ad memoriã ſunt neceſſariò confitenda, & debet homo ab illis abſolui: ergo non inconuenit quòd quis abſoluatur bis ab eodem peccato. Nota igitur pro hac opinione,

Peccata ſemel cõfeſſa, an poſſum' iterũ confiteri.

nione, quòd poteſtas clauium data eſt eccleſiæ ad remiſsionem peccatorum non ſolùm ad remiſsionem culpæ, ſed etiam ad remiſsioné pœnæ. Cùm ergo illa poteſtas maneat in eccleſia poſt primam abſolutionem, & remanet etiam reatus pœnæ in eo qui iam eſt confeſſus, ſequitur q ſecunda cõfeſsio valebit ad remiſsionem peccatorum & pœnæ. Maximũ argumẽtum pro hac parte eſt conſuetudo bonorũ, qui ſæpe confitentur eadẽ peccata. Et ad argumentũ Scoti, nego q eadem forma non poſsit replicari ſuper eandem materiã: nam cum eadem aqua poſſunt baptizare cẽtum. Item illo dato, peccata ſunt materia remota, ſed peccata confeſſa ſunt materia proxima: vnde ſi in eadem confeſsione abſolueretur bis, abſolutio ſecunda nihil omnino valeret. Sed in pluribus cõfeſsionibus quare non erit valida?

171 Confite- QVAERITVR, an poſsit aliquis cõfiteri abſenti ſacerdoti per nuncium,

puta-

putà quia eſt in carcere, & non datur aditus ſacerdoti? Reſpond. quòd nullus tenetur iſto modo confiteri. Quia forum confeſsionis debet eſſe ſecretum, & nemini tenetur homo reuelare peccata niſi ſacerdoti. Secundò dico (licet Palude videatur dicere contrarium. 4. diſt. 17. q. 2.) quòd non eſt licitum hoc modo confiteri, nec talis confeſsio ſi fiat poteſt eſſe ſacramentalis, nec ſacerdos poteſt talem abſoluere: nec eſt rationi conforme. Quia confeſsio debet eſſe forum ſecretiſsimũ: nam licèt non ſit de eſſentia confeſsiõis & ſit ſecreta, tamen quia ſacramenta non ſunt cõtra legẽ naturæ, ſecundùm quam non licet publicare peccata, idcirco confeſsio ſit ſecreta, & non ratione clauium. Ratio igitur quare talis nõ poteſt abſolui eſt, quia re vera non confitetur: confitetur quidem internuntio: internuntius tñ non confitetur, ſed eſt teſtis. In foro contentioſo ſufficeret illud, quia non

ri per nũciũ an ſit licitum?

poſſet retractari, & ſi retractaret non crederetur. In cõfeſsione verò ſic, quia ſemper manet libertas ad confitẽdum. quando enim nuncius loquitur ſacerdoti poteſt pœnitens ſe retractaſſe: ac proinde nõ poteſt abſolui: nec confiteri modo prædicto. Non dubito de hoc.

172 Cõfeſsio an fieri poſsit ꝑ interpretem.

QVAERITVR, an per interpretẽ poſsit quis cõfiteri ſacerdoti præſenti? Reſpon. primò ſicut dubiũ præcedens, ꝙ homo non tenetur ſic confiteri. Quia non tenetur prodere peccata ſua, in tali autem caſu manifeſtat ea interpreti, ergo non tenetur. Secundò dico quòd poteſt licitè eo modo confiteri. Sed contrà, quoniam talis non confitetur ſacerdoti: ſicuti dicebamus de eo qui confitetur per internuncium, ergo talis confeſsio non eſt valida. Reſpon. ꝙ eſt differentia clara. Quia quãdo internuncius refert peccata ſacerdoti, pœnitens ſe habet merè negatiuè, & non eſt præſens. Per interpretẽ autem

ſigno

ſigno & nutu actualiter oſtendit pœnitens, & ipſe dicat ſacerdoti quod interpres dicit: & ſic eſt verum ſacramentum. Et interpres omnino tenetur occultare peccata quæ audiuit.

QVAERITVR, an aliquis poſsit confiteri per ſcripturam, maximè quando nō poteſt voce? Palude. 4. d. 17. q. 2. & Maio. 4. d. 27. q. 1. dicunt quòd ſi ſacerdos ſit præſens, qui non poteſt voce, tenetur ſcripto confiteri. Sed dico cum Caietano, Scoto, & Ricardo, ꝙ talis non tenetur ſic confiteri. Quia nemo tenetur prodere peccata ſua extra cōfeſsionem, talis autem proderet peccata: quia ex natura rei ſcriptura manet tranſacta confeſsione, ergo non tenetur: præcepta enim Chriſti debent eſſe ſuauia. Sed vtrùm poſsit confiteri ſcripto, dubium videtur. Nam ſcriptura & nuncius in hoc conueniunt, ꝙ ſcriptura non eſt confeſsio, quanuis poſſet qui dat ſcriptum annuere, ꝙ confi- 173 Confiteri ꝑ ſcripturā, an liceat.

tetur illa peccata ſcripta, & iam videtur ꝙ eſſet idem iudicium ſicut de confeſsione per interpretem quæ eſt vera confeſsio. Et tãdem ita credo & teneo, ꝙ licitè tunc fit ſcripto, ſi ſignis annuat ꝙ confitetur illa. Sine neceſsitate verò à potente loqui nõ reciperetur talis cõfeſsio. Quia inter ſigna voces obtinuerunt principatum, & magna irreuerentia eſſet confiteri ſcripto. Muti autẽ ſi poſſunt confiteri nutibus non manifeſtando alijs peccata tenentur confiteri. Caieta. in ſumma, ponit modum quo tales poſſent confiteri. ſ. vt peccata ſcribâtur in vna charta, & in alia numerus peccatorum, &c. Sed credo ꝙ nõ tenentur illo modo confiteri meo iudicio.

174 Conſortem peccati an poſsim reuelare in confeſsione. QVAERITVR, vtrũ quis teneatur eo modo confiteri circunſtantias peccatorum, quo reuelentur cõſortes: V. g. commiſi inceſtũ cum matre, curatus cognoſcit me & matrem meam, an tenear confiteri illam circunſtantiam, quæ

quæ quidem nō poteſt dici ſine reuela tione perſonæ conſortis in crimine? Re ſpondeo ex ſententia omnium, ꝙ talis tenetur quærere alium cōfeſſorem qui non cognoſcat matrem, quia multùm noceret matri talis confeſsio: ac proinde nimis cauere debent pœnitentes, ne in confeſsionibus aliorum peccata detegant. Si vero non inueniatur confeſſor ignorās talem perſonam, dico (quã uis aliqui voluerunt dicere ꝙ tũc nō tenetur dicere illam circũſtãntiam perſonæ) ex ſententia S. Tho. Bonauenturæ in. 4. d. 21. & Gabrie. 4. d. 17. q. 1. cōcluſione. 5. ꝙ talis tenetur confiteri circunſtantiam illam, & omnes alias circunſtantias neceſſarias, eſto confeſſor veniat in notitia tertiæ perſonæ. Quia præceptum de confeſsione eſt maius quam præceptum de ſeruanda fama alterius, & ego vtor iure meo: maximè quia non diffamo cōſortem, cùm ſacerdos teneatur peccatum meum & ſuum

æquè celare. Imò Bonauentura dicit ꝙ ſi ſacerdos ſit talis de quo æſtimatur ꝙ non nocebit ſed proderit, pœnitẽs poſſet ei dicere perſonam, etiam ſi aliàs ne ſciret vt adhiberet remedium.

175 Circunſtantiæ peccatorum. QVAERITVR, quæ circunſtantiæ ſint neceſſario cõfitendæ. Reſp. ꝙ triplices ſunt circunſtantiæ. Quædam minuentes peccata, aliæ quæ grauant peccata, alia verò quæ nec grauant, nec minuunt, quas quidem antiqui non vocant circunſtantias: vt ſi peccaui noctu vel in die, & propterea iſtæ dimittantur. Primæ circunſtantiæ ſi tales ſint, ꝙ faciant ex peccato mortali veniale vel ex peccato non peccatum, cõfitendæ ſunt neceſſariò, aliàs eſſet mendacium. V.g. participare cum excommunicato eſt mortale, ſiquis autem cum negligentia veniali communicet in diuinis, illa circunſtantia ignorantiæ reddit peccatum veniale, & ideo eſt confitenda. Vel ſi rex excommunicatus me

tu

tu mortis cõpelleret me celebrare coram eo, talis circunſtantia videtur facere de peccato non peccatum, & ideò eſt neceſſariò confitenda. At ſi huiuſmodi circunſtantiæ quæ non tãtùm excuſant, quòd faciãt mortále veniale, vel peccatum non peccatum: vt egeſtate furari, paſsione mœchari: dicunt aliqui quòd eſſet melius quòd non confiterẽtur. Sed dico, quòd ſi verè ſint circunſtantiæ quæ multùm excuſant debent confiteri. Quia vnum furtum poteſt eſſe in duplo peius, quàm aliud, & ſtuprũ ex libidine multò peius eſt quàm ex timore mortis. Tales igitur circunſtantiæ confitendæ ſunt, non ad excuſanda peccata delicta ve, ſed ad confitendum ea purè & nudè.

SED tot a difficultas eſt de circunſtantijs aggrauâtibus, quæ quidem ſunt in duplici differentia. Quædam enim mutant ſpeciem: ſicut furari vel occidere in eccleſia, fornicari cum virgine, 176 Quæ circunſtantiæ confitendæ.

vel fornicari in eccleſia : eſt dubium an tales ſint neceſſariò confitendæ? Reſpondet S. Tho. 4. d. 17. & Bonauentu. Palude, Syluester, & eſt communis ſententia, q illæ circunſtantiæ quæ mutant ſpeciem ſint neceſſariò confitendæ. Quia peccatum habens illam circunſtantiam, æquiualenter eſt duo peccata. Furtum enim per ſe eſt peccatum & iniuria eccleſiæ eſt etiam peccatum per ſe, & ideò furtum in eccleſia æquiualet duobus peccatis, & ob id eſt neceſſariò talis circunſtantia confitenda. Item fornicatio eſt peccatum, & iniuria viri eſt peccatum, & ideò fornicatio cum vxorata æquiualet duobus peccatis, ac proinde talis circunſtantia eſt neceſſariò confitenda: & ſic de ſimilibus. Item probatur, per illa peccata frangunt duo præcepta eccleſiæ: furtum enim in eccleſia eſt primò contra præceptum de non furando, & etiam contra præceptnm cultus diuini, ergo circun-

cunſtantiæ iſtæ ſunt neceſſariò confitendæ. Aliæ verò ſunt circunſtãtiæ aggrauantes quidem ſed non mutantes ſpeciẽ, & tales nõ ſunt neceſſariò confitendæ: quia alias nunquã poſſet homo purè & integré confiteri. Marſi. 4. diſt. 12. & Gabriel. 4. d. 17. & Maio. ibidem dicunt primò, ꝙ omnes circunſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt confitendæ. Secundò dicunt, quòd etiam ſunt confitendæ aliquæ non variantes ſpeciem, ſcilicet quæ faciunt maiorem malitiam mortaliter: tales inquiunt circunſtantiæ neceſſariò ſunt confitendæ. Quia aliàs aliquando cõtingeret, ꝙ maior eſſet pars malitiæ quæ celatur, quàm quæ manifeſtatur. v.g. ego ſemel conſenſi in homicidium, & continuaui conſenſum per diem integrum, ſi confiteor quòd conſenſi ſemel in homicidium, & taceo tempus continuationis, nonne celarem maiorem partem grauitatis. Item furari decem eſt mortale,

furari

furari verò mille eſt eiuſdem ſpeciei cum primo furto ſed nunquid ſufficeret dicere, accuſo me quod furatus ſum, nõ nominando quantitatem? Ad hanc igitur quæſtionem dico quòd ego nõ auderem cõdemnare eum qui conſiteretur ſolas circũſtantias mutantes ſpeciem. Nam cùm illud dicat. S. Tho. & Bonauentura: vel eſt verum, vel ad minus qui ſequitur illos excuſatur ignorantia inuincibili. Secũdò dico, quod nemini conſulerem, nec ego eſſem contentus illo modo cõfiteri, ſed confiterer etiã illas circunſtantias quæ manifeſtè multiplicãt malitiam mortalem. Sicut in exemplis poſitis de tẽpore cõtinuationis, & de quantitate furti: quia aliàs confeſſor non intelligeret totam malitiam confitentis. Placet etiam mihi quod Caietanus dicit, ſcilicet quòd aliquæ circunſtantiæ mutantes ſpeciem non ſunt neceſſariò confitendæ: quando grauitas circunſtantiæ eſt parua. Sicut diuinare

re per terrā eſt alterius ſpeciei quā diui nare per aquam: & tamen ſufficit ꝙ dicat, accuſo me q̃ fuy ſuperſticioſo vſq; ad peccatum mortale. Credo igitur neceſſaria confiteri magnitudinem rei furatæ, & continuationem in peccato.

QVAERITVR, vtrùm cōfeſſor poſsit pœnitentē abſoluere cōtra propriam opinionem? V. g. ſit caſus de quo ſunt duæ opiniones an ſit vſurarius vel non qui vendit frumentū ad certā diē: porq̃ ſe lo pague como valiere en Mayo. Quidam dicunt, ꝙ eſt illicitum, & ego ita credo. Alij tamen dicunt, ꝙ non eſt illicitum. Sunt pro vtraque parte probabilitates, ego tamen ſum opinans ꝙ ſit illicitum: & pœnitēs tenet, quòd non eſt illicitum, & ſic confitetur quòd vendidit frumentum illo modo, & ꝙ habet propoſitum ita deinceps faciendi, quia audiuit viros doctos dicentes quòd id licet. Eſt dubium quid faciet hic confeſſor qui tenet illud eſſe mor 177 Cōfeſſor an poſsit abſoluere cōtra propriā opinionem.

tale

tale nunquid poterit abſoluere eum contra propriam opinionem? Sit aliud exemplum, ſi iudex ſequens opinionem. S. Tho. occidat hominē quem ipſo certò ſcit innocentem, probatum tamē nocentem, & cōfeſſor ſit opinionis Nicolai de Lyra qui tenet id non licere: vtrū poſsit abſoluere iudicē volentē ſemper in illa opinione perſiſtere. Eſt magna quæſtio & mouet eam Conradus celebris doctor tractatu de contractibus, quæſtione vltima. Et ante omnia quæſtio hæc habet locū, quādo ambæ opiniones ſunt probabiles: nam ſi opinio pœnitentis nō habeat probabilitatē, non debet eum abſoluere: quia eius ignorantia non eſt inuincibilis, ſed vincibilis. Vt ſi ego teneo opinionē ꝙ nemo poteſt poſsidere plura beneficia ſimul, ſi oppoſita opinio nō ſit probabilis ſicut forſan non eſt, clarum eſt ꝙ nō debeo eum abſoluere: quia puto eum eſſe in peccato mortali, & non

excuſatur ignorantia inuincibilis. Sed quid faciet quando ambæ opiniones ſunt probabiles, & habēt ſuos proprios aſſertores? Reſpondeo, ꝙ ſiue ſit eius proprius ſacerdos, ſiue non, tenetur eũ abſoluere in tali caſu. Ita tenet Palud. 4. diſt. 17. quæſt. 2. arti. 1. Et Gotfre. quod libeto. 9. Probatur apertè, talis pœnitēs eſt in gratia, & confeſſor habet probabilitatē ꝙ ſit in gratia quia ſcit eſſe probabilem eius opinionem, ergo non debet ei negare abſolutionem.

QVAERITVR, an numerus peccatorũ ſit neceſſariò cōfitendus? Reſp. ex omnium ſententia ꝙ ſic: licèt multi confeſſores parum de hoc curent. Probatur, quilibet tenetur confiteri omnia peccata ſua, ſed qui non confitetur numerum, non confitetur omnia peccata ſua, ergo tenetur eum confiteri: aliàs eſſet fictio. Sed vtrum iſte numerus ſit determinatè dicendus, putà furatus ſum decies, iuraui falſum millies. &c. 178 Numerꝰ peccatorum neceſſario confitendus.

Caie-

Caietanus reſpondet, quod numerus peccatorum ideò manifeſtari debet, vt ſciat confeſſor à quo debet abſoluere, & qualitatem pœnitentis : & quia ad hoc parùm præſtat quòd cõfeſſor ſciat an ſint decem vel vndecim, ideò non eſt exquiſitè numerus perquirendus. Dicendum ergo primo, quod quicunque ſciuerit determinatè certum numerum peccatorum ſuorum : vt ſi certò ſciat ꝙ peccauit decies tenetur dicere determinatè ſe decies peccaſſo hoc peccato. Quia aliàs celaret aliquod peccatum & eſſet fictio: vt ſi diceret ſe feciſſe aliquod peccatũ nonies, & ſcit certò ꝙ fecit decies. Secundò dicit Caietanus, nõ eſſe neceſſarium magnam adhibere diligentiam ad cognoſcendum diſtinctè certum numerum peccatorum. Cogitat aliquis, & ſcit ſe falſum iuraſſe multoties, ſemel in qualibet ſeptimana, parùm plùs uel minus: & ſi amplius penſaret & fatigaret ſe, poſſet reperi-

re certum numerum, dico ꝙ illud non eſt neceſſariũ. Nam quomodo parùm plũs vel minus attingat numerum pec catorum, licèt non determinatum, nihil impeditur eorum quæ ſunt in cõfeſsione facienda. Nõ enim impeditur abſolutio, quia ſufficit illa notitia. Nec pœnitentia, quia non eſt imponenda ad æqualitatem, cùm ſit arbitraria. Nec conſilium, &c. ergo nihil impeditur. Satis eſt igitur ꝙ quis pertingat numerum craſſo modo parùm plùs vel mi nùs. Præcepta enim Dei debent eſſe clara, is verò qui ſæpe ſolet peccare, non poſſet ſcire numerũ daterminatũ. Tertiò dicit etiam aliquãdo non eſt neceſſe adhibere diligentia ad ſciendũ numerum etiã ſic craſſo modo. V.g. eſt meretrix quæ fuit in lupanari decem annis, nũc conuertit & vult cõfiteri, ſatis eſt ꝙ dicat peccata fornicationis hoc modo, manſi in lupanari per decem annos ad mittẽs cunctos: nec oportet quòd cogi

ret quot in hebdomada, menſe, aut a-
no. Patet, quia per hoc confeſſor habe
tantã notitiã, quãta in illa poteſt ei dare
Quid enim refert, quòd illa dicat ſe
peccaſſe triginta mille vicibus? Et idem
de cõcubinario q habet fœminã per a-
nũ qualibet nocte, nõ eſt opus ꝙ num
ret vices: nec expedit illud dicere. Item
de illis qui frequentiſsimè blaſphemãt.
Satis eſt ꝙ dicant hanc eſſe ſuam cõſu
tudinem: ne faciamus eos mentiri. Et
eodem modo de circũſtantia magnitu
dinis rei furatæ, non eſt opus, quòd ſcia
tur punctualiter. Non dubito de hoc.

179 QVAERITVR, ſi quis confite
tur ſe peccaſſe decies, vel duodecies, nó
recordatur tamẽ tunc niſi decem, & po
ſteà recordatur diſtinctè alterius pecca
ti, an teneatur illud confiteri in particu
lari? Reſpondeo ꝙ non, ſi includitur in
numero prius dicto. Quia ſi tunc quan
do confeſſus fuit meminiſſet illius, ſuffi
ceret dixiſſe, iuraui falſum duodecies

parum

parũ plùs vel minùs. Si autẽ dixit, iura-
ui falſum decies, & poſteà ſit memorq;
iurauit quatuordecim tenetur cõfiteri
ea quæ numerũ priùs dictum excedũt.

QVAERITVR, an modus ſecre- 180
tè confitendi ſoli ſacerdoti, ſit alienus
ab inſtitutione & mandato Chriſti.
Reſpondetur negatiuè, & ita firma fi-
de tenendum eſt, ſic enim diffinitur in
concil. Tridentino, Seſsione. 14. de pœ
nitẽtia. Cano. 6. cuius hæc ſunt verba.
Si quis dixerit modum ſecretè confitẽ-
di ſoli ſacerdoti, quem eccleſia catholi
ca ab initio ſemper obſeruauit & obſer
uat alienum eſſe ab inſtitutione & man
dato Chriſti, & inuentum eſſe huma-
num, anathema ſit.

QVAERITVR, an abſolutio ſa- 181
cramentalis ſacerdotis ſit actus verè &
realiter iudicialis, hoc eſt verè & reali-
ter præſtans & efficiens realem abſolu
tionẽ vel non, ſed duntaxat declaret pœ
nitentẽ iã eſſe abſolutũ. Reſpõdetur fir

ma fide tenendum eſſe q; ſit actus verè & realiter iudicialis, hoc eſt verà & realiter præſtãs & efficiens abſolutionem quantum eſt ex ſe. Hoc patet, quia ita diffinitur in concil. Tridentino, vbi ſupra. Can. 6. cuius verba ſunt. Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis nõ eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti modò tantùm credat ſe eſſe abſolutum, aut ſacerdos non ſeriò ſed locò abſoluat, anathema ſit.

182 QVAERITVR, deinde, an ſacerdos poſsit ſacramentaliter abſoluere pœnitentem cuius confeſsionem non audiuit? Reſpondetur negatiuè. Et ita firma fide tenendum eſt, quoniã ſic diffinitum eſt in Cano. 9. proximè allegato, his verbis. Siquis dixerit non requiri confeſsionem pœnitentis, vt ſacerdos eum abſoluere poſsit, anathema ſit.

QVAERITVR, vtrùm ſigillum confeſsionis ſit neceſſariũ? Reſp. ſecundùm omnes doctores. 4. diſ. 21. ꝙ ſacerdos tenetur ad ſigillum confeſsionis, ad celanda peccata quæ in confeſsione audiuit ſub pœna peccati mortalis. Probatur primò ratione naturali, quia facerem illi iniuriam. Item, quia in capit. ſacerdos. de pœnitentijs. d. 6. prohiberet omnibus ſacerdotibus reuelare peccata, & apponitur pœna grauiſsima oppoſitum facientibus: ſcilicet, vt omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat. Et ſunt verba Gregorij. Idẽ habetur capi. omnis vtriuſq; ſexus. de pœnitẽtijs & remiſsionibus. & dicitur, ꝙ qui non celauerit, detrudatur in arctiſsimũ monaſterium, vbi perpetuam faciat pœnitentiam. Et quia ſi in hoc daretur aliqua exceptio, tolleretur confeſsio: nemo enim auderet confiteri peccata grauia. Idcirco propter nullum bonũ quodcunq; ſit illud, li- 183 Confeſsionis ſigillũ neceſſariũ.

cet sigillum confessionis frangere: quia nullum potest esse æquale bonum, nec tam necessarium vt est confessio.

183 Peccata ni cõfessione audita possumus iurare nos nescire.

SED quid faciet confessor cũ interrogatur de peccato quod audiuit in cõfessione, an posit dicere se nescire? Respondeo secundùm omnes, ꝙ sic. Sed quid si cogatur iurare? Dico ꝙ potest & debet iurare se nescire, quia intelligitur se nescire extra cõfessionem, & sic verum iurat. Sed fac quòd iudex, vel prælatus ex malitia exigat à me iuramentum an sciam in confessione? Respon. ꝙ coactus iuret se nescire in confessione, quia intelligitur se nescire ad reuelandum, aut taliter ꝙ posit dicere. Sed contrà si iuret se scire in confessione iuraret verum, ergo cùm iurat se nescire in confessione iurat falsum: quia sunt contradictoriæ. Respond. ꝙ non sunt contradictoriæ. Quia in illa negatiua intelligitur conditio subintellecta, scilicet quòd non scit tali mo-

do

do quòd poſsit illud dicere.

QVAERITVR, ſi confeſſor ex 185
ignorantia abſoluit aliquem quem non poterat à caſu reſeruato, vel ab excommunicatione, vel ſi oblitus eſt eum abſoluere, quomodo reparabitur defectus confeſsionis ſine reuelatione? Nider in ſuo confeſsionario dicit, ꝙ in cõcilio Conſtantienſi, vel Baſilienſi fuit inter patres hæc queſtio tractata, & ꝙ tunc fuit varia ſententia. Ego dico cum diſtinctione, quia vel confeſſor timet probabiliter ſcandalum reuocando pœnitentem, & quòd cõqueretur de reuelatione confeſsionis: & in tali caſu relinquendus eſt: quia ſi habuit contritiõem erat in gratia. Si autem non timetur, ꝙ pœnitens dicet ſe non feciſſe tale peccatum, & quòd nõ cõqueretur de reuelatione confeſsionis, dico ſine quocunque ſcrupulo, quòd poſſum illum reuocare ad confeſsionem & abſoluere. Sed contrà, quia obijcit peccatum ex-

Error in cõfeſsione factus quomodo reparandus ſine fractione ſigilli.

tra confeſsionem. Reſpondeo, ꝙ nõ facio ei iniuriam ſi dicam, tu confeſſ es mihi alia die, redeamus ad confeſſionem, quia volo tibi dicere vnũ verbum quod expedit tibi. Si nolit, dimittatur. Si autem acquieuerit, dicam e confitearis peccata in generali, & ſi aliqua alia feciſti confitere ea, quia fecit lem defectum in alia confeſsione. Et probo quòd hoc liceat: quia vt infrà dicemus, de pœnitẽtis licentia licet reuelare peccata eius alteri, ergo multò melius ſibi ipſi, vel formaliter, vel interpretatiuè ſi dederit licentiam: vt ſibi beneuole audiat me dicẽtem ſibi, ſcias quò in confeſsione præterita fuit defectu quidam commiſſus, vis illum audire? Si dixerit quòd ſic, ſine quocunque ſcrupulo dicatur ei, ſcias ꝙ cras excommunicatus, & ego non potui te abſoluere &c, Palude in fine, diſtinct. 21. ampliorem concedit licentiam, dicens quò nõ ſolùm quando fuit commiſſus de

ciu

ſtus in confeſsione, ſed etiam ratione correctionis fraternę poſſum ſecretò admonere illũ de peccato ſemel confeſſo mihi. Sed credo certè q̃ eſt falſum omnino, & q̃ nullo modo licet.

186 QVAERITVR, an quando peccatum quod in confeſsione audiui eſt publicum, tenear illud ſilere? Reſpondet Caietan. in ſumma, q̃ de tali peccato poſſum loqui poſt confeſsionem eodem modo ſicut antè: debeo tamẽ procedere poſteà cautiùs, & nullo modo dicere q̃ ſcio illud in confeſsione, quia redderem audiẽtes certiores. Sed quid ſi à confeſſore petat quis, an ille fuerit confeſſus illud peccatum publicum? Reſpondeat confeſſor, confeſſus eſt omnia peccata ſua. Poteſt etiam dicere, abſolui illum: quia per hoc nihil reuelo. Admonet tamen Caietanus. bonum eſſe quòd quando peccata ſunt publica, petat facultatem confeſſor à pœnitente ad loquendum de eis ad bonum

Peccatũ publicũ in confeſſione auditũ, an poſsim reuelare

num finem. Sed quid ſi vſurarius i[...] ctet ſe, quòd abſolui illum cùm non ſi[...] verum. Nam ſi dico quòd ſic, mentior. Si autem dico quòd non abſolui eum, reuelo confeſsionem. Dicat confeſſor quid ad vos? ego feci officium meum. Sed quid faciet proprius ſacerdos petentibus euchariſtiam concubinæ, vel vſurario, quos non audiuit de confeſſione? Reſpondeo, ꝙ non det illis. Sed quid ſi dicant confeſsi ſumus tali fratri, & interrogatus frater non audet dicere ꝙ non abſoluit, ne eorum ſtatum reuelet nec ꝙ abſoluit ne mentiatur? Reſpondeo abſolutè, ꝙ ſi ſint peccatores publici, debet eis euchariſtiam negare. Quòd ſi fuerint confeſsi cùm proprio ſacerdote & non abſoluti, & nihilominùs petant euchariſtiam, dico etiã quod debet eis negare, & ſi dixerint, iam tu abſoluiſti nos, dicat ego neſcio de hoc.

187 QVAERITVR, vtrũ de licentia

poeni-

pœnitentis liceat confeſsionem reuelare? Alexander & Scotus.4.d.21.q.2.1. & Durandus ibidem dicunt quòd non licet. Quia ſigillum confeſsionis eſt de iure diuino, ergo pœnitens non poteſt dare licétiam. Item quia eſſet ſcandalum. Sed reſpondeo abſolutè, quòd pœnitens poteſt dare licentiam, confeſſor tamen non poteſt accipere, aut reuelare confeſsionem in detrimentum pœnitentis qui ſibi talem facultatem dat.

Peccata in confeſione audita reuelare poſſumus de pœnitentis licentia.

QVAERITVR, vtrum alia quæ in confeſsione ſciuntur præter peccata cadant ſub ſigillo confeſsionis? Reſpondeo, quòd ſub ſigillo arctiſsimo confeſsionis non cadunt niſi peccata pœnitentis, vel tertiæ perſonæ: & ſolùm huius ſigilli fractor incurrit pœnas canonicas. Secundò dico quòd ſub ſigillo confeſsionis cadunt omnia illa quæ expreſsé, vel interpretatiuè pœnitens tradit ſub ſigillo confeſsionis: 188

Sigillum cõfeſsionis, an ſe extendat ad alia quàm ad peccata.

vt

vt ſi dicat, accipiatis hoc ſub ſigillo, q
qui hæc reuelat, credo peccaret mortaliter: propter detrimentum quod faceret ſacramento: redderet enim confeſsionẽ fraudulosam. Non enim omnes intelligunt hanc differẽtiam ſigilli maioris vel minoris, Ideo cõfeſſor ſit cautus, vt taceat omnia illa quæ ſunt alicuius grauitatis. Alia verò quæ non ſunt de neceſsitate confeſsionis, nec refert pœnitenti, quòd reuelentur, non tenetur celare: ſed tamen non dicat ſe in cõfeſsione audiſſe. Breuiter in hac parte mas vale ſer corto que largo.

189 QVAERITVR, an in communi liceat reuelare peccata audita in confeſsione, taliter quòd nec directè, nec indirectè peruenient in notitiam pœnitentis? V.g. ſi dicã, quidã confeſſus eſt mihi ſemel hoc peccatum. Reſpond. quòd hoc non eſt reuelare cõfeſsionẽ. Quia re vera multi viri ſancti hoc fecerunt maximè Doctores qui ponunt caſus quos

Peccata in cõfeſſione audita, an liceat in communi reuelare.

quos in confeſsione audierunt. Secundò dico, ꝙ melius eſt hoc raró facere. Sequuntur enim quandoque ſcandala ex iſtis: ideò abſtineant ſacerdotes ab his narrationibus,

QVAERITVR, de illis qui committūt alijs ſecreta ſub ſigillo confeſsionis, an tale ſit ſecretū confeſsionis? Reſpond. ꝙ qui recepit tenetur ſeruare illud ſecretum pluſquàm alia. Quia ex pacto additur nouum vinculum, & per conſequēs dico non eſſe conueniens, ꝙ homines ſæpè recipiant talia ſecreta. Secundò dico, ꝙ illud non eſt ſigillum confeſsionis, nec frangens illud incidit in pœnas canonis. Quia ibi nulla iniuria fit ſacramento, cùm nullum fuerit ſacramentum, licèt frangatur fides. Notandum eſt etiā quod ea quæ dicuntur de ſigillo confeſsionis, intelliguntur de quacunq; confeſsione ſiue perfecta, ſiue non, ſiue incepta, ſiue nō, & de omnibus illis quæ ordinātur ad cōfeſsionē 190 Secreta extra cōfeſsiōem ſub ſigillo cōmēdata quomodo obligent.

vel

vel facultatē vt ab illo abſoluatur à re-
ſeruatis , non poteſt ille plus reuelare
quam ſi iam accepiſſet in confeſsione.

191 QVAERITVR, vtrū cōfeſsio vo-
calis quæ eſt in vſu eccleſiæ ſit inſtitu-
ta à Chriſto? Antiquitus quando erant
tempora meliora, non tantū hæc quæ-
ſtio iactabatur: quia tempore pacis ar-
ma non ſunt in tanto pretio & vſu.
Nunc verò quia iam ſunt hæretici qui
negent confeſsionem propter peccata
noſtra oportet quòd ſimus ad hoc bel-
lum armati. Idcircò quæritur, an con-
feſsio ſit de iure diuino? Respond. eſt
ſentētia omnium doctorum quod ſic.
Patet: eccleſiæ claues ſunt ad remitten-
da peccata, ſecundū illud Matthæi. 16.
Tibi dabo claues regni cœlorum, &
quodcunque ſolueris ſuper terrā, &c.
Sacerdotes autem habēt has claues, &
ſunt iudices peccatorum, iudices vero
non poſſunt iudicare niſi cauſam co-
gnoſcant, ergo alij tenentur ſubdere
hu-

Confeſſio vocalis eſt à Chriſto inſtituta.

huic iudicio, aliàs fruſtra eſſet illa poteſtas, hæc autem ſubiectio ſit per confeſſionē, ergo de iure diuino tenentur cōfiteri. Item Iacob. 1. Cōfitemini alterutrum peccata veſtra. Quod Auguſtin: Beda, & alij ſancti, & Hugo de ſancto Victore. libro. 2. de ſacramentis, per. 14 cap. intelligunt de præcepto confeſſionis. Itē) & hic eſt tota vis ſecundū Adrianū & veritatē) Ioan. 20. quorū retinueritis retenta ſunt. i. quorum peccata non abſolueritis, non erunt abſoluta ante Deū: ergo ſecundùm Euãgelium debēt confiteri & abſolui in terra, aliàs non erunt abſoluta in cælo. Hic eſt locus validiſsimus, & ꝙ oēs ſancti hoc dicant in cōperto eſt, Vide Thomã Vualdēſem. lib. de ſacramētis, & Roſſenſem colligē tes dicta ſanctorū omnium. De hac cōfeſsione neceſſariò ſacerdoti facienda multa egregia apud vtrūque inuenies. Et cognoſces, an expediat has eccleſiæ columnas ſequi potiùs, quã nouos iſtos

gramma-

grammatiſtas. Opinor neminẽ vſque adeò cæcũ & in ſanũ eſſe, qui ob vniꝰ Lutheri amẽtiam velit tãto diſcrimini ſeipſum exponere, quatenus ea peccata quæ vel nouit, vel dubitat eſſe lethalia, ſacerdoti non aperiat. Et maximè cùm intelligat antiquiſsimos ſimul eruditiſſimos ac ſanctiſsimos patres tãtam confeſsionis huius neceſsitatem eſſe dicentes, vt quicũque mortaliter deliquerit, eum oporteat, vel publice, vel priuatim ſacerdoti ſua peccata detegere. Nec facile crididerim patres ipſos hanc vſque adeò duram prouinciam nobis impoſuiſſe, priuſquàm exploratiſsimum haberent hanc confeſsionem, aut ab apoſtolis inſtitutam, aut in ſacris ſcripturis dilucidè traditam fuiſſe: ceu rem cunctis peccatoribus apprimè neceſſariam & quã contemnere nõ poſſent, abſque diſpendio ſalutis animarum. Expendat igitur quiſquis ſecum, an tutiùs fuerit horum patrum ſimul & ſcripturarum

rum

rum aſſertionē admittere, ſuasque animas à tanto periculo cuſtodire: an Lutherum de confeſsione impie oblatrantem & ſentientem, ſuo capiti duntaxat non patrū, aut ſcripturarum teſtimonio innixū ſequi & cum eo funditùs perire.

NOTANDVM etiam de cōfeſ- 192
ſione, ꝙ Beatus Renanus in annotationibus quas fecit ſuper Tertullia. dicit ſe eſſe nactum librum quendam antiquiſſimum Conciliorum, & inter ea dicit fuiſſe vnum factum antequam eſſet inſtitutum ab eccleſia ieiunium quatuor dierum ante Dominicam primam in Quadrageſima, quod ſic habebat. Preſbyteri debent admonere plebem ſibi ſubiectam, vt omnis qui ſentit mortifero peccatum vulnere ſauciatum, feria quarta ante Quadrageſimam cum omni feſtinatione recurrat ad viuificatricē matrem eccleſiam, vbi quod malè commiſit, cum omni humilitate & cordis contritione ſimpliciter confeſſus, ſu-

Cōfeſsio olim fiebat ī prīcipio.xl.

ſcipiat media pœnitentiæ ſecundu
modum canonicis authoritatibus pr
xum, non ſolum autem ille qui mort
le aliquid cõmiſit, ſed etiam omnis ho
mo quicunque ſe cognoſcit immacul
tam Chriſti tunicã quam in baptiſm
accepit polluiſſe, ad proprium ſacerd
tem feſtinet venire: cũ puritate ment
omnes tranſgreſsiones: omnia peccat
quibus dei offenſam incurriſſe mem
nit humiliter confiteatur, & quidqui
à ſacerdote fuerit iniunctum, acſi ab
ipſo omnipotentis ore fuiſſet prolatu
ita diligentiſsimé attendat & ſequatu
hæc ibi. Idem habetur in pœnitenti
rio Romano quod creditur profectum
ab apoſtolis ipſis, vbi dicitur. Hebdo-
mada ante quadrageſimam confitean-
tur omnes. Iſte erat conueniẽtiſsimu
modus, & multò melior, quàm qui nu
eſt, ꝙ confitentur in fine quadrageſi-
mæ ſic ieiunium nõ multũ eis prodeſt.
Optimum eſſet ſi poſſet reuocari ill
conſue-

cũsuetudo, nos tamẽ nõ possumus illã reuocare. Sed peculiares possent suos pœnitentes admonere ꝙ confiteantur ante quadragesimam.

QVAERITVR, an sit necessariũ vt confessor interroget pœnitentem? 193 Cõfessor an teneatur interrogare pœnitentem. Respondeo primò ꝙ est necessariũ vt confessor plerunq; aliquid interroget. Patet, nam vt suprà diximus, si pœnitens non fecerit aliquã consciẽtiæ examinationem, confessio non solùm erit inualida sed etiam mortalis. Si hoc ex circũstantijs appareat, debet confessor interrogare, an examinauerit conscientiam suam: & si dixerit ꝙ non non, audiat eum. Si non timeantur maiora mala, videlicet ꝙ pœnitens nunquam confitebitur, tũc enim interroget sacerdos. Oportet enim ꝙ cõfessores nõ mittant pœnitentes in desperationem. Omnes sancti, & S. Tho. ita consulunt. Quãdo ergo confessor videt has circũstantias, necessarium est interroget. Et si est

 pro

probabile confeſſori ꝗ pœnitẽs dimit tit aliquod peccatũ: tenetur interrogare de eo: quia tenetur quantum potest non ſolùm ad abſoluendum, ſed etiam vt pœnitẽs recipiat gratiam, quam quidem non reciperet, ſi ex magna negligentia aliquod peccatum dimitteret. dico prætereà quòd ſi eſt mihi probabile quòd pœnitens fecerit ſufficientem examinationem, licèt credat confeſſor ꝗ habeat alia peccata præter ea quæ dixit, ſi commodè poteſt interroget: ſed non tenetur tunc interrogare: ſunt enim aliqui (que ſacan el alma a los penitentes.) Sufficit quod ſit mihi probabile quòd confeſsio ſit ſufficiens ad conſecutionem gratiæ. Probatur, quia pœnitens non tenetur facere maiorem diligentiam quàm fecit, ergo non teneor eum interrogare: quare eum vexabo interrogationibus? confeſſor debet laborare vt ſit beneuolus. Ex his ſequitur quòd non oportet

inter

interrogare pœnitentem de omnibus peccatis mortalibus. Quidam à pueris quærunt, an ſint ſimoniaci. &c. Iſti faciunt confeſsiones odioſas & ſuperſtitioſas. Sed oportet interrogare pœnitentes de peccatis quæ probabiliter putantur habere, nec id nimis anxiè. Confeſſor etiam ſit minus cautus interrogando nõ quærens noua peccata, quia poterit ea docere pœnitentem, & ſcandalizare: maximè circa peccata carnalia, quæ non debet interrogare niſi ex confeſsione haberet aliquod indicium ꝙ habeat illa: tũc enim nõ debẽt omitti quæ ſunt de eſſentia confeſsionis, ſed fiat ſapienter. V. g. ſi confeſſor probabiliter credit pœnitentem habere aliquod peccatum turpe & verendum. interroget, nõ apertè, ſed dicat, cogitaſti aliquando de hoc? Si dicat ſic, quærat vlteriùs, & conſenſiſti? ſi dicat ſic, procedat dicens, & feciſti? quo dicente ſic, vel non, nihil amplius interro-

get. Sed dimittat alias fabulas.

194 Circũstãtia loci quando confitenda. QVAERITVR, vtrũ circunstantia loci sit necessariò confitenda? Resp. ꝙ solum in tribus peccatis est necessariò confitenda, scilicet in furto, effusione sanguinis, & effusione seminis in ecclesia. Credo quòd non sufficeret furari in ecclesia ad hoc vt sit sacrilegium, nisi esset de ecclesia. Et effusio sanguinis debet esse notabilis, vt supra diximus. Et si quis habeat in ecclesia volitionem perpetrandi prædicta tria, vel aliquod eorum extra ecclesiam, nó est sacrilegus. Si verò extra ecclesiam consentiat in aliquod horum, faciendum intra ecclesiam, teneretur confiteri de hac circunstantia, quia iam fit iniuria loco.

195 Circũstãtia temporis an sit confitenda. SED vtrũ circũstantia temporis necessariò sit confitenda, putà peccare in festo? Respondeo absolutè, quòd non. Ita tenet Caietanus, Syluester. Nider. & alij. Grauius est peccare in die festo

sed

ed non est grauitas necessaria ad confitendum. Et confessores debent de hoc admonere pœnitentes.

QVAERITVR, an qui ex indu- 196
stria habet duos confessores, vnum cui omnia cõfiteatur peccata, alterum cui leuia duntaxat ad æstimationẽ, bene faciat? Respondeo sine dubio, hoc esse sacrilegiũ, & videtur magna fictio, & irridet cõfessorem faciens credere eum, ꝙ ipse sit probus. Et certè videtur mortale quãdo propter hoc faciat. Non dãnarem tamen eũ qui semel incidit in mortale, non solitus peccare, si cõfiteatur alteri ne perdat opinionem quàm habet erga primum confessorem suum.

Confesso res duos habere, vnũ pro grauib⁹, aliũ pro lenib⁹ an liceat.

QVAERITVR, si quis propter 197
magnã consuetudinẽ quã habet peccandi, credit se iterũ peccaturũ: ipse tamen omnino vult cauere, & proponit non peccare, an sit absoluẽdus? Resp. omnino ꝙ sic. Quia si tũc nõ esset absoluendus, nec etiã quãdo dubitaret. Itẽ istepo

Credẽsse peccaturũ propo nẽs tamẽ nõ peccare, an sit absoluẽdus.

test: facere quod in se est, & tamẽ qꝫ non possit tollere hanc formidinẽ à se. Consuetudo enim relabendi nõ impedit cũ habeat bonũ propositum, & nihilominus propter experientiam non poterit credere se deinceps non peccatum, ergo. Et hæc de confessione sufficiant.

Sequitur de Satisfactione, tertia pœnitentiæ parte.

198 Reatus pœnæ an remaneat post cõtritionem.

QVAERITVR, in primis, vtrùm postquàm homo habuit cõtritionem de peccatis suis, & confessus est ea, & est in gratia, maneat ei aliquis reatus pœnæ pro quo debeat satisfacere? Respondeo quòd sic. Et patet. 2. Reg. 12. de Dauid, cui postquàm dictum fuit transtulit Dominus peccatum tuum à te: iniuncta est pœna, vt moreretur puer ex Bersabe natus Ft Lucæ. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ, & hoc fit per satisfactionem.

nem. Et Romano. 6. Sicut exhibuiſtis membra veſtra. &c. quia ſi in Tyro, & Sidone. &c. Matthæi. 11. Item eccleſia orat pro mortuis. Et habetur etiam. 2. Machabæo. 12. Vt à peccatis ſoluantur: & nõ ſolùm à venialibus, ſed etiam à mortalibus, cùm dicat ab omni vinculo delictorum: ergo poſt remiſſam culpam manet reatus pœnæ. Et hoc eſt certum & de ſide.

QVAERITVR, quid ſit ſatisfactio. Reſpon. S. Tho. ex Anſelmo ꝙ ſatisfactio eſt compenſatio offenſæ præteritæ ad æqualitatem iuſtitiæ. 199

Satisfactio quid ſit & qũo poſſum⁹ Deo ſatiſfacere.

QVAERITVR, ergo, vtrùm aliquis poſsit ſatisfacere? Reſpon. ꝙ ſatisfactio eſt pars iuſtitiæ, iuſtitia autẽ exigit æqualitatem. Et ſi loquamur propriè de æqualitate vt ſatisfactio importat reddere æquale, dico ꝙ nemo poteſt ſatisfacere. Quia nemo poteſt reddere Deo æquiualens, etiam ſi non peccaſſemus. Nam Dijs, parentibus, & ma-

giſtris, non poteſt reddi æquiualens, vt ait Ariſt o. Si verò loquamur de æqualitate proportionabili, quando ego facio quod poſſum, dico, q̃ hoc modo poſſumus ſatisfacere Deo: etiã propriè capiendo ſatisfacere, vel ſi vultis ex beneuolentia acceptantis. Ad quæſtionem igitur cùm dicitur, an homo poſſit Deo ſatisfacere, dico quòd ſi cõſideretur homo ſecundùm ſua naturalia ſeclufa gratia, nullo modo poteſt ſatisfacere pro peccato. Quia quicquid poſſumus dare Deo ſine gratia, eſt nullius momenti. Cùm etiã omnes iuſtitæ noſtræ ſiãt corã Deo tãquam pannus menſtruatæ, vt ait Propheta, Item quicquid poſſumus facere, debemus Deo propter beneficia recepta. 1. Paralipo. capi 29. Tua ſunt dñe omnia, & quæ de manu tua recepimus, reddimus tibi. Et ſic ſine gr̃a eſt impoſsibile ſatisfacere Deo ad æqualitatẽ. Nec etiam ſine gr̃a ex acceptatione Dei poſſumus ſatisfacere.
Dice

Dicere enim quod Deus acceptat opera nostra, est dicere quod illa sunt accepta & grata Deo: sed si homo non habeat gratiam non potuerunt eius opera esse grata Deo: posset quidem Deus remittere sua omnipotẽtia peccata propter actus existentis in peccato, sed hoc non esset satisfactio sed condonatio pura, & remissio. Secundò potest homo considerari in gratia. Et secundum hanc considerationem, si nõ habeamus respectum ad passionem Christi, adhuc non potest satisfacere ad æqualitatem. Quia nõ sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã. Item quia illa opera sunt nostra, & si habẽt fructum est ex parte Dei. Potest tamẽ talis satisfacere ex liberalitate acceptãtis. Si verò consideretur homo in gratia, prout gratia est effectus passionis Christi, sic propriissimè & ad æqualitatem satisfacit Deo: si iungamus merita nostra meritis Christi, qui etiam inquantum

tum homo ſatisfecit ad æqualitatē iuſtitiæ, & quantitatis.

200 Satisfacere poteſt vnus pro altero. QVAERITVR, vtrū vnus homo poſsit pro alterius hominis pœna ſatiſfacere? V.g. Petrus poſt confeſsionem manet reus ad pœnam vt decem eſt dubiū, an ego poſsim ſatisfacere pro illo? Reſp. ex omniū ſententia q̃ ſic. Ita habet vſus eccleſiæ. Nihil enim tam naturale eſt homini, quàm vt quilibet vtatͬ re ſua vt vult: quare ego non potero vti hoc ieiunio meo vt voluero? vbi hoc ꝓhibuit Deus? Poſſum dare tēporalia mea: quare non ſpiritualia? Itē ſufficientiſsimè ꝓbatur ex cõſuetudine eccleſiæ in qua vnus pro alio ſatisfacit. Item Coloſſen. 1. dicit. Nũc gaudeo in paſsionibus meis pro vobis: & adimpleo quæ deſunt paſsioni Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt eccleſia. Itē oratio mea valet alteri ad gloriam. iuxta illud, orate pro inuicem vt ſaluemini, Iacob. 5. ergo etiam ad remit-

mittendam pœnam. Et ſi oratio, ergo etiam alia opera bona. Item omnes ſumus inuicem membra: vt dicitur Roma. 12. & Epheſi. 8. Sed membra vnius corporis influunt inuicem, ergo.

QVAERITVR, vtrũ homo poſſit ſatisfacere pro vno peccato non ſatisfaciendo pro alio? vtrum homo exiſtẽs in mortali, poſsit ſatisfacere ꝓ pœna peccati mortalis iã remiſsi? Reſpondeo ex ſententia omnium, impoſsibile eſt ꝙ quis ſatisfaciat priùs pro pœna, quàm pro culpa. Et hoc eſt notum, & à nemine dubitatum. Si verò ſit in peccato, an poſsit ſatisfacere pro pœna peccati iam dimiſsi? Reſpondeo, ꝙ vel iſta opera ſatisfactoria ſunt iniuncta à confeſſore, vel non, ſed voluntariè aſſumpta. Si ſecundũ, cõmunis ſententia omnium eſt, ꝙ nihil proſunt. 1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meũ ita vt ardeam, charitatem autem nõ habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt. 201 Satisfacere pro vno peccato, & non pro alio, an poſsit peccator vel pro peccato iam remiſſo.

Item

Item opera illa ex se non sunt æqualia satisfactioni quam debet: nec etiam ex liberalitate acceptantis, quia non acceptantur cùm procedant ab inimico Dei, ergo non sunt satisfactoria. Si autem sint iniuncta à cõfessore, licèt Scotus videatur dicere q valent, tamen S. Tho. 4. dis. 15. & Enrricus, quodlibet. 8. qõ. 18. & Adrianus. q. quam de hoc facit. 4. & Palude. 4. distinct. 15. & 22. dicunt, quòd nullo modo valẽt. Et patet rationibus nunc factis, nullus potest satisfacere sine gratia: remissio enim peccati est maxima amicitia Dei qua non utitur nisi erga amicos, ergo. Verũ est q talia opera iniuncta à confessore & facta in peccato mortali, adueniente charitate, siue relinquãt post se effecti siue non (hæc enim distinctio friuola est, & nunquã placuit viris doctis) viuificantur & acceptantur à Deo: vt bene dicit Caietanus, quia satisfactio est pars sacramenti. Vnde si virtus confessio-

ni

nis redit, quare nõ & satisfactionis? hoc pium est, sed tutius est implere in gratia pœnitentiam iniunctam. Verum est, ꝙ illa opera satisfactoria iniuncta à confessore, & facta in mortali, quanuis non valeant ad remissionem culpæ tamen per illa impletur præceptum confessoris, & non tenetur pœnitens iterum implere pœnitentiam iniunctam.

QVAERITVR, vtrũ satisfactio debeat fieri per opera pœnalia? Pro huius intelligentia oportet priùs intelligere, quid sit opus pœnale. Opus pœnale idẽ est quod malũ pœnæ, & malum nihil aliud est quàm priuatio boni. Triplex verò est bonũ, honestũ, vtile, & delectabile. Pœna propriè loquendo non est priuatio boni honesti, quia hoc est peccatum: sed est priuatio boni vtilis vel delectabilis, sicut dare eleemosynam ieiunare, orare, &c. Nũc dico, ꝙ satisfactio debet fieri per opera pœnalia. Ita est cõmunis doctorum sentẽtia. Pro 202 Satisfactio fit ꝑ opa pœnalia.

batur

batur, quia ſatisfactio eſt opus iuſtit
offenſa autem conſiſtit in hoc, ꝙ ſu-
trahimus Deo obedientiam, & accipi-
mus facultatem peccandi, quam iur
non habebamus. Cùm ergo iuſtitia ten
dat ad æqualitatē, dignum eſt, quòd ſa-
tisfaciamus per hoc, ꝙ ſubtrahamus a
nobis quod iuſtum eſt, & noſtrū eſt. i.
pecuniam, vel cœnam: ſicut in lege fi
bat ſatisfactio per contra paſſum, ocu-
lum pro oculo. &c. Confirmatur exem
plo Chriſti, qui potens per ſolam dile-
ctionem Dei ſatisfacere, ſatisfecit pe
opera pœnalia. Et quantò opus fueri
magis pœnale, tantò erit magis ſatisfa-
ctorium cæteris paribus. Secundò di-
co (& credo eſſe probabile ac verum)
quòd per omne opus bonū poſſumu
ſatisfacere: etiam per dilectionem Dei
Hoc tenet Scotus. Et patet, quia etiam
inter homines fit ſatisfactio non ſo-
lum per opera pœnalia, ſed etiam pe
omnia opera illa quæ læſo compla
cen

cent. Item probatur, quia nullum est opus bonum quod non sit pœnale, ergo omne opus bonũ est satisfactorium, quia lassat & defatigat hominem, vt cõtemplatio, & dilectio, quæ licèt sint opera animæ, sed sunt animæ coniunctæ corpori: & haberemus magnũ laborem si vellemus Deum diligere, vel proximum per vnam horam. Item per dilectiõem Dei satisfacimus pro pœna peccati venialis: nam per illam remittitur veniale, vt diximus: ergo dilectio Dei est opus satisfactorium. Item quia dicere ꝙ per dilectionẽ Dei, & contemplationem, & alia id genus opera nõ satisfacimus, esset motiuum magnum ad deterrendum hoĩes à melioribus bonis.

QVAERITVR, vtrũ sit necessariũ, ꝙ opera per quæ homo debet satisfacere sint libera, vel an possim satisfacere per opera aliàs debita, & per ieiunium quadragesimæ, vel orationem canonicarum horarum? Palude. 4. dist. 203 Satisfacere an possimus per opera alias debita.

15.q.1.artic. 2. dicit absolutè, quod nem
satisfacit per opera aliàs debita, & præ
cepta. Vnde qui dat pauperi existen
in extrema necessitate oia bona sua, n
satisfacit. Idem dicit Maio. 4. distinct.
15.qö.2.& Almain.q.1.& Syluester.E
probant, quia vnico pretio non potest
satisfieri duobus debitis, ergo eodem
ieiunio non potest satisfacere quis pro
peccatis,& ecclesiæ. Item, quia seque-
retur, quòd confessor posset iniunge-
re clerico, quòd diceret horas canoni-
cas in pœnitentiam, aut quòd solueret
decem aureos quos debet, quod qui-
dem esset irrisio. Sed his non obstan-
tibus, ego non dubito quin possimus
satisfacere per opera aliàs debita: &
puto erroneum dicere contrarium. Ita
tenet Adrianus. q. quam de hoc fecit. Et
probatur, ecclesia instituit ieiunium
quadragesimale & alia, vt pro pecca-
tis satisfaciamus, hæc fuit eius intentio,
& sæpissimè orat in quadragesima vt
acce-

acceptet Deus noſtra ieiunia in remiſſionem peccatorum: ergo illa ſunt ſatisfactoria pro peccatis. Ita dicendum eſt omnino, & vtinam vel ſola ieiunia ab eccleſia inſtituta ieiunaremus. Ad argumentum igitur, confeſſor poſſet imponere clerico, quòd diceret horas canonicas in pœnitentiam. Reſpō. primò quòd non debet hoc facere, quia debet iuuare eum ad ſatisfaciendū, ac proinde debet aliquid de nouo imponere. Secundò dico, quòd ſi faciat, factum erit, & aliquando expediet: vt ſi nobiles nunquam ieiunēt quadrageſimam, bene faciet confeſſor præcipiens illis, ieiunetis hoc quindecim dies qui remanent de quadrageſima. Alia argumenta facilè ſoluuntur. Nam cùm ieiunium quadrageſimæ ſit ſatisfactorium, ergo pro aliquibus eſt ſatisfactorium, ergo pro me. Mirabile enim eſt ꝙ ſit ſatisfactorium pro alijs & non pro me. Perderē ergo præmium ſatisfactio

nis ieiunãdo quadragesimam propter ecclesiæ præceptum. Certè non credo.

204 QVAERITVR, an qui impleret pœnitentiam cõfessoris cùm audit missam de præcepto, satisfaciat? V.g. iniungit confessor septẽ psalmos, recito eos inter audiendum missam die Dominica, an satisfaciam præcepto cõfessoris? Aliqui summistæ dicunt, q non implet sed peccat. Adrianus tamen in. 4. in materia de satisfactione. oppositum dicit, scilicet, q non peccat, sed præceptum implet cõfessoris. Et ita tenendum est.

Pœnitentiam impositam an possimus implere in missa de pcepto.

205 SED quid si alicui sit iniunctũ q ieiunet tribus diebus & ille ieiunauerit tribus diebus quatuor temporũ vel quadragesimæ, an satisfaciat præcepto confessoris? Respondeo q nõ, quia oportet stare ad intentionẽ cõfessoris, qui si nõ explicet cõtrarium, intelligitur de diebus aliàs nõ debitis. Secùs esset de eleemosyna, nã nõ dubito quin si confessor iniũgat pœnitenti, quòd det aureũ pauperi

Pœnitentia ponatur in rebus alias non debitis.

peri, melius faceret & magis ad intentionem confessoris si det illum pauperi existenti in extrema necessitate. Posset tamen confessor iniungere pœnitenti pro satisfactione, vt ieiunet diebus residuis quadragesimæ, vel vt audiat missam die Dominico, aut vt restituat pecuniâ quam debet, vt bene dicit Adrianus vbi suprà. Quoniam opera aliàs debita sunt meritoria, & pœnalia, & per cõsequens satisfactoriũ, & sic ieiunium iniunctum, licèt aliàs de præcepto, erit vera satisfactio sacramentalis.

DVBITATVR, an oporteat ꝙ homo satisfaciat per se ipsum? Respô. ꝙ quilibet per se debet implere pœnitentiã sibi iniunctã. Patet, quia id est præceptũ, vt tenebimus pro nũc. Itẽ quia pœnitẽtia est vt medicina, modò medicina quę est mihi necessaria nõ cõfertur alteri: nisi cõfessor imponat sic pœnitentiã, ieiuna tribus diebus, vel fac ꝙ alius ieiunet ꝓ te. Si autẽ ego nõ possũ, bonũ est 206 Homo ꝑ se ipsum satisfaciat.

ꝙ alteri committam vt ieiunet pro me.

207 QVAERITVR, vtrũ flagella inflicta à Deo in hoc mundo, sint satisfactoria pro peccatis? Vt Nabuchodonosor ambulans in solitudine sicut fera, & Dauid quando occisus fuit à Deo puer eius? Videtur ꝙ nõ, quia talia opera nõ sunt voluntaria, actus verò debet esse meritorius ad hoc quòd sit satisfactorius: sed non põt esse meritorius nisi sit volũtarius, ergo. In oppositum est, quia Nahum. 1. dicitur, non insurget bis tribulatio. Quod septuaginta interpretes verterunt, non iudicabit Deus bis in id ipsum. ergo si per has tribulatiões quas patimur in hoc mundo non satisfacimus, bis de eodem iudicamur. Ad hanc quæstionem respondet S. Thom. 4. distin. 15. & in additionibus. quæstio. 15. articulo. 2. quòd pœna pro peccato potest dupliciter exigi. Vno modo ab illo cui non debetur satisfactio, sicut si occidi hominem, debeo satisfactionem Deo.

Flagella inflicta à Deo sunt satisfactoria.

Deo. Si autem alius homo verberaret me propter hoc, hæc pœna non habet rationē satisfactionis: sed vindictæ: sicut si debeo tibi viginti, & alius accipit à me, per hoc ego non satisfacio tibi. Secundò modo potest exigi, seu infligi pœna ab eo cui debeť satisfactio: & talis pœna vocatur propriè satisfactio, sicut illi qui puniuntur à cōmunitate & iudicibus. Hoc supposito dico, ꝙ pœna à Deo inflicta potest esse satisfactoria. Probat S. Tho. quia pœna illa potest esse opus peccatoris, per hoc ꝙ voluntariè acceptat, & patienter sustinet, sicut Iob qui dicebat, sicut dño placuit ita factū est, sit nomen dñi benedictum. Illud erat satisfactoriū, quia iam erat propriū illius. Et ita de fide tenendum est, quia sic diffinitur in concilio Tridenti. Sessio. 14. de pœnitentia. cano. 13. cuius verba sunt. Si quis dixerit pro peccatis ad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satis-

fieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, anathema sit. Si autẽ qs renitatur tali pœnæ, nõ est satisfactoria: si talis resistentia sit vsq; ad peccatum mortale. Vnde infirmus qui vellet sanari si posset, sed quia non potest fieri bono animo in nomine dñi, satisfacit, non solũ per patientiam quam habet, sed quia ipsæ pœnæ à Deo inflictæ sunt satisfactoriæ de se sicut etiam pœnæ purgatorij: & multò melius. Dico præterea & hoc est multum probabile, & verissimile) ꝙ quicunque in gratia punitur à Deo in isto mundo, sufficienter punitur, & non punietur in alio seculo: & maximè si morte eum puniat, tunc enim non dubito quin mors inflicta à Christo (non loquor de morte naturali) omnem pœnam deleat, Probatur, quia nulla est ratio iam ꝙ Deus punit aliquem in vita, cur puniat, partem & non totum. Hoc non negaret Hieronymus, qui verbum mirabile dicit super

per illud Naum. 1. Non consurget duplex tribulatio. Quod vos potestis videre (si placuerit) in suo fonte.

QVAERITVR, quæ sint opera satisfactoria pœnalia, vtrùm sint tria, quæ cõmuniter ponuntur à doctoribus & à Magistro sentẽ. 4. d. 15. scilicet ieiunium, eleemosyna, & oratio? Respondeo, ꝙ sic. Probat S. Thom. quia vt suprà diximus, in satisfactione oportet ꝙ sicut peccator vsurpauit sibi, quod non debet, ita auferat sibi aliquid quod ei competebat, puta bona naturalia per ieiunium: bona tẽporalia per eleemosynã. Bona autẽ spiritualia nõ debẽt auferri, sed satisfacimus operibus spiritualibus cognoscendo, quòd sunt Dei, & petendo auxiliũ, quod fit per orationẽ. Et in his includuntur omnia opera pœnalia. In ieiunio opera afflictiua ex natura sua putà peregrinatio, silentium, &c. Prædicare verò, legere, & similia intelligũtur sub eleemosyna, quia sunt 208

Pœnalia opera satisfactoria præcipua tria, ieiuniũ, eleemosyna, & oratio.

bona proximis exhibita.

209 QVAERITVR, an confessor audiens confessionē posit obligare pœnitetem ad aliquam satisfactionem? puta ad hoc vt ieiunet, vel det eleemosynā? Scotus. 4. d. 18. & 19. tenet quòd cofessor non potest obligare pœnitentem si ipse noluerit acceptare. Si autem semel acceptauerit, tenetur implere pœnitentiam sub pœna peccati mortalis. Idem tenet Gabriel. distin. 16. qō. 2. dubio. 1. & 5. quia potest satisfacere in alia vita. Idem tenet Syluest. verb. cōfessio. 1. paragrapho. 25. & 26. licèt cùm aliquibus limitationibus. Caiet. etiam. q. 2. de satisfactione tenet ꝙ pœnitens non tenetur acceptare pœnitētiam, saltē sub pœna peccati mortalis, & si acceptet, non tenetur eam implere sub pœna peccati mortalis. Sed quicquid sit de his opinionibus, putò esse probabilius quòd pœnitens sub pœna peccati mortalis tenetur acceptare pœnitētiā sibi iniunctā. Ita tenet

Cōfessor pōt obligare pœnitentem ad aliquā satisfactionem

tenet Magist.4.d.28.& S. Tho. ibidem & in additionibus, q.1.art.3.&.d.19. in expositione textus, & Palud.4. dist. 10 q.2. & Maio.d.17.q̃o.2.& Alma. d. 18. & videtur sentẽtia omniũ sanctorũ antiquorum, qui si peccatori graui iniungerent pœnitentiam, & ille nollet acceptare, non reputarent eum (vt credo) esse in statu salutis. Et probo ꝙ teneatur acceptare: quia in ca. omnis. dicitur, & iniunctam sibi pœnitentiã pro viribus studeat adimplere. In prædicto cap. est præceptum obligans ad confitendum semel in anno: sed sub ijsdẽ verbis dicitur quòd impleat pœnitentiam iniunctã, ꝙ confiteatur: ergo etiam illud est præceptum. Item ca. statuimus. de maledicis. dicitur, si pœnitẽtiam renuerit peccator iniunctam à sacerdote, interdicatur ei ingressus ecclesiæ. i. excommunicetur, & ecclesiastica careat sepultura. Et licèt hoc intelligatur de pœnitentia publica, tamen eadem ra-

tione

tione intelligendum est de secreta: quia quantum ad claues nihil refert vtrùm confessio fiat publicè, uel secretè. Et credo ꝙ qui antiquitus publicè confitebantur, non iterum confitebantur secretè. Probatur etiam, sacerdos habet potestatem remittendi & soluendi culpam & pœnam, ergo & ligandi quo ad culpam & pœnam. Item quilibet iudex in foro contentioso habet potestatem imponẽdi pœnam pro crimine, & alius tenetur acceptare, quare ergo iudex ecclesiasticus non habebit hãc potestatem in suo foro? Sed iam de fide tenendum est, ꝙ confessor potest obligare pœnitentem ad aliquam satisfactionem, quia sic diffinitur in concil. Tridenti. Sessio. 14. de pœnitentia. can. 15. cuius verba sunt. Si quis dixerit claues ecclesiæ datas tantũ ad soluẽdũ, non etiam ad ligãdũ, & propterea sacerdotes dum imponũt pœnã confitentibus agere cõtra finem clauiũ & contra institutionẽ Christi & fictionem

nem esse, ꝙ virtute clauiũ, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerunque exoluenda remaneat, anathema sit.

210 QVAERITVR, vtrùm sacerdos habeat potestatẽ imponendi quancũq; pœnitẽtiã voluerit pro suo arbitrio? Respon. non oportet, ꝙ per pœnitentiam iniunctam à confessore pœnitẽs satisfaciat pro tota pœna omniũ peccatorum suorũ. Nam aliàs frustrà esset purgatoriũ. Secũdò dico ꝙ sacerdos non potest imponere quantãcũq; pœnã grauem: & quãdo esset intolerabilis, pœnitens nõ tenetur obedire. Vtrùm autem debeat sacerdos ponere aliquam pœnitẽtiam sub consilio, fac hoc, & si volueris fac etiam istud. Palude consulit ita facere & Syluester, & alij. Hoc etiam laudat S. Tho. Propter quod dico, ꝙ talis pœnitentia propter consilium sacerdotis est magis meritoria, quàm si eam faceret ex arbitrio proprio solummodò.

Cõfessor nõ potest imponere quancunq; voluerit pœnitentiã.

211 QVAERITVR, vtrum secundus

con

Cõfessor. pōt mutare, vel tollere pœnitentiam ab alio confessore iniunctam.

confessor posit commutare vel tollere pœnitentiam impositam a primo confessore? de hoc sunt opiniones. Syluester & isti dicunt, quòd non potest nisi cõfiteatur. Sed puto probabilius, quòd potest, quia secundus confessor est iudex, & habet potestatē super istum, & ideò satis est, quòd pœnitens confiteatur peccatum illud, quòd non fecerit pœnitentiam sibi iniunctam aut alio: & potest confessor, vel tollere totam, vel minuere, vel etiam commutare. Vtrùm autem confessor teneatur semper aliquam iniungere pœnitentiam pœnitenti, posset dubitari. Sed dico quòd sic, quia est iudex, & grauiter peccaret si nulla imponeret: nisi esset cu magna & rationabili causa, vt in articulo mortis, vel si videret, quòd pœnitens nullam acceptaret pœnitentiam (si tamen hoc contingere posit vnquam). Hæc de satisfactione dicta sufficiant.

Sequi

Sequitur de Sacramento Extremæ vnctionis.

De quo (licet sit Sacramentum exeuntiũ) priùs tractatur quàm de matrimonio, & de ordine. Quia priùs agendum est de sacramentis quæ pertinent ad omnes Christianos, quam de ijs quę spectant solùm ad certũ genus personarum. Et de hac materia tractatur à Doctoribus .4. distinc. 23.

PRIMO quæritur, an extrema vnctio sit sacramentum? Resp. secundùm oẽs catholicos, ꝙ sic. Quia est inuisibilis grãæ visibilis forma, nam significat gratiã interiorẽ, cũ eius effectus sit remouere reliqas peccatorũ. Et confert gratiã, iuxta illud Iacob. 5. & si in peccatis fuerit, dimittẽtur ei. Ex quo patet, ꝙ si peccator cũ sola at

212 Extrema vnctio est sacra metum. tollere pœnitentiam ab alio confessore iunctam

la attritione recipiat hoc sacramētum, recipiet gratiā virtute illius, & remissionem peccatorū mortaliū. Item probatur ꝙ sit sacramentū, quia in ca. ad abolendam. de hæreticis. excōicantur qui aliter sentiunt de sacramentis quàm sentit Romana ecclesia, sed ecclesia Romana in concilio Florentino sub Eugenio. 4. determinauit ꝙ extrema vnctio est vnum de septē sacramentis ecclesiæ. Et in capit. illud superfluum. 65. distinctio. idem determinatᷣ, ergo ita tenēdum est de fide, & oppositū est hæreticum.

213 QVAERITVR, à quo sit hoc sacramentum institutum, an à Christo? Magister. 4. dist. 23. verbis Hugonis ait ꝙ ab apostolis Iac. 5. Sed cùm sacramenta nouæ legis cōferāt gratiā quam solus Christus confert: tenendum est omnino ꝙ Christus instituit hoc sacramentum. Nā instituere sacramenta pertinet ad potestatem excellentiæ quam solus Christus habuit. Quod autem dicit

Extrema vnctio an sit à Christo instituta.

cit Magister, quòd fuit ab apostolis institutum, intelligendum est secundùm Sanct. Tho. ꝙ est ab apostolis promulgatũ. Sed vbi legitur in sacra scriptura huius sacramenti institutio? S. Thom. & omnes alij dicunt, ꝙ non est expressus locus vbi fuerit institutum. Habemus tamen ꝙ sit sacramẽtum ex traditione ecclesiæ, quæ in his quæ sunt fidei errare non potest: & hoc sufficit nobis. Euangelistæ nõ curauerunt tradere nisi necessaria ad salutẽ, vt de baptismo, pœnitentia, eucharistia, quæ sunt sacramenta necessaria. De cõfirmatione verò & extrema vnctione ꝓptereà siluerunt quia non sunt necessaria ad salutẽ: quanuis Marci. 6. videatur fieri de hoc sacramento mentio, cũ duodecim vngebant infirmos oleo.

QVAERITVR, quis sit effectus huius sacramenti? Respon. ꝙ hoc sacramentum non imprimit characterem & ideò est iterabile. Patet quia in concilio 214 Vnctionis extremæ effectus.

cilio Florentino dicitur q solùm tria sacramenta imprimunt characterem, baptismus: confirmatio, & ordo. Secundò dico, quòd effectus huius sacramenti sunt tres scilicet, gratiæ collatio, peccatorum remissio infirmatium alleuiatio. Ita enim iuxta fidem asserendú est. Nam in Concilio Tridenti. Sessione 14. de sacramento extremæ vnctionis. Cano. 2. ita diffinitur. Si quis dixerit sacram infirmorum vnctionem, non cóferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos: sed iam cessasse quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, Anathema sit. Tertiò dico quod effectus principalis huius sacramenti est remissio peccatorum per gratiæ collationem, minus principalis est sanitas corporis, dicente Iacobo, & alleuiabit eum dominus, & si in peccatis fuerit dimittentur ei. Sed tota difficultas est ad remissionem quorum peccatorum ordinetur. Ricardus, Bonauentura, Sco

ra, Scotus, Durandus, & Maioris, dicunt, quòd ordinatur ad remißionem venialium. Sed contra, quia contra venialia ſunt multa remedia, & faciliora, vt aqua benedicta, oratio Dominica, tunſio pectoris, &c. & in cæremonijs huius ſacramenti, vna eſt confeßio generalis, in qua remittuntur venialia: ergo non ordinatur ad remißionem venialium. Item, quia ſi ordinaretur ad remißionem venialium, deberet cõferri ſanis. Dico igitur cum S. Thom. ꝙ ordinatur ad reliquias peccatorũ, quæ ſunt debilitas potẽtiarum, triſtitia, & alia quæ impediunt animam cogitare de Deo. Et propterea conferturhoc ſacramentum infirmis, vt poßint faciliùs reſiſtere tentationibus dæmonum, quæ tunc maximè inſurgunt: & remotio illa eſt exhilaratio cordis, vt habetur in capit. vnico. de ſacra vnctione. Idẽ dicit etiam Palude. Non negamus tamen quin remittat venialia,

imò & aliquando remittit mortalia. In peccato ergo sunt tria, macula, pœna, & reliquiæ. Ad tollendam maculam in ingressu nouæ vitæ ordinatur baptismus. Post perditam verò vitam spiritualem ordinatur pœnitētia ad tollendam maculam. Ad pœnam verò non est aliquid de per se ordinatum. Manet ergo ad reliquias peccatorum extrema vnctio. Et reliquiæ istæ sunt quædam qualitates infectiuæ animæ, & naturalis impotentia & ineptitudo quæ remanet post peccatum ad exercēdum bona opera, & ligamen quoddam animæ ad opera virtutis, quod prouenit à peccato. De secundo effectu qui est sanitas corporalis, dicitur in concilio Florentino, quòd non semper sequitur, sed quando expedit infirmis bene valere.

215 QVAERITVR, cū hìc sint multæ vnctiones, & multæ formæ, an vnctio sit vnicum sacramētum, vel plura. Resp. secundum omnes ꝙ est vnū sacramen-

Extrema vnctio est vnicum sa-

mentum, sicut vnum artificiale, vt vna domus, & vna curatio: quæ fit in radicibus peccatorum, hoc est in quinque sensibus. Sed quæres in qua illarum vnctionum datur gratia? Respondet San. Tho. quòd in vltima.

Sacramē tum.

QVAERITVR, quæ sit materia huius sacramenti? Respō. q omnes conueniunt, quòd est oleum. Et habetur ex verbis Iacobi. 5. Orent super eum vngentes eum oleo. Et in capitu. vnico. de sacra vnctione. Et in concilio Florentino. Et ratio conuenientiæ est, quia hæc curatio est vltima, & debet esse perfecta; ac debet significare spem qua tunc infirmus maximè indiget, quę quidem spes significatur per lenitatē olei. Oleū enim est optimum ad curandum, quia maximè penetratiuum est. Nomine antem olei intelligitur oleum oliuarum; sicut nomine panis intelligitur triticeus, & nomine vini, vitis. Sufficeret autem oleum rosaceum, nisi sit mul 216

Oleū oliuarū est materia sacramēti vnctionis.

tum corruptũ. Et in capi. vnico de sacra vnctione. præcipitur, quod non mittatur balsamum. Idem habetur in Concilio Florentino. Hoc autem oleum [redacted] debet esse benedictum ab episcopo: vt patet in dicto cap. vnico. Ratio quare debet esse benedictum, est, quia materia omnium sacramentorum habentium materiam, præter actus recipientis, debet esse consecrata, seu sanctificata: quia est instrumentum ad cõferendam sanctitatem. Materia autem sacramentorum, quibus Christus vsus est, non indiget alia sanctificatione: quia per contactum sui sacratissimi corporis eam sanctificauit, vt aquam in baptismo, panem in eucharistia. Materia verò extremæ vnctionis, & materia confirmationis indigent benedictione: quia his sacramentis nõ est vsus Christus. Posset autẽ simplex sacerdos ex cõmissione Papæ oleũ consecrare, vt tenet Palude, Scotus, & Caietanus,

nus.3.par.quæst.72.artic..3.

QVAERITVR, an esset verum sacramentum siquis vngeret oleo non consecrato? Palude & Duran. dicunt ꝙ papa non posset vngere oleo non con secrato. Caietanus dubitat, an consecratio olei sit de necessitate sacramenti. [redacted] quia Iacob, 5. est expressa materia huius sacramenti, & forma, & minister: & tamen nulla fit mentio de consecratione olei, ergo. Item in capit. pastoralis. de sacramentis non iterandis. Innocentius tertius requisitus, an ille qui erat confirmatus oleo non benedicto, esset iterum confirmandus? Respondit nihil est iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuit omissum, ergo non erat repetenda forma, ac proinde fuit verum sacramentum. Et eadem ratio erit de extrema vnctione. 217

Oleũ vnctiõis oportet esse consecratum.

218 QVAERITVR, quæ sit forma huius sacramenti? Resp. quod forma est deprecatiua, quam nunc tenet ecclesia. Quia ex Iacobo patet sic debere esse, cũ dicat, orent pro eo: oratio autẽ idem est quod deprecatio. Ratio verò quare forma huius sacramenti non est indicatiua sed deprecatiua, est, quia iam infirmus est à se destitutus, & eget aliorum precatione. Item, quia iam transit ad aliud forum, & commendatur alteri foro per hoc sacramentum. Forma ergo qua nunc vtitur ecclesia, est de necessitate præcepti: vt patet in Concilio Florentino. Secundò dico, si aliquæ ecclesiæ vtantur forma indicatiua, videtur, pium, quod sufficiat. Et hoc etiam ponit Ricardus, & Duran. quia aliàs ecclesia non permitteret tantùm errorem. Quanuis Capreolus non putet esse probabile, quod aliquæ ecclesiæ vtantur forma indicatiua tantùm. Tertiò dico, quòd ecclesia posset mutare formã dũmodo esset de preca-

Forma sacramenti vnctiõis

precatiua: quia Iacobus non dicit nisi orent. Est ergo forma. Per istam vnctionem & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum auditum. &c.

QVAERITVR, vtrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis? Resp secundũ oẽs q̄ non, sed sola tria, baptismus, eucharistia, pœnitentia, quæ ordinantur ad gratiam & remissionem peccatorũ. Duo alia sunt, quibus nolle vti esset peccatũ mortale, vt confirmatio, & extrema vnctio. Alia duo sũt quibus licet nolle vti, vt matrimonium, & ordo. Vnde si quis etiã ex negligentia nõ reciperet extremam vnctionem non peccaret mortaliter. Si verò ex contemtu peccaret mortaliter: vt si quis supposita fide huius sacramenti, nollet vti illa lo. Ita tenent omnes, & Caiet. 219 Vnctiõis sacramẽtũ est de necessita te salutis

DE ministro verò huius sacramenti, dico, quòd est solus sacerdos: vt patet ex verbis Iacobi. Nomine autem sa- 220 Minister sacramẽti vnctio

nis est omnis sacerdos.

cerdotis intelligimus solum illum, qui ab episcopo ordinatus est sacerdos, & characterem sacerdotalem recepit. Et ita iuxta fidem catholicam firmiter tenendum est. Sic enim diffinitur in concilio Tridentino, sessione. 14. de sacramento extremæ vnctionis. cano. 4. cuius verba sunt. Si quis dixerit presbyteros ecclesiæ, quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quauis communitate, obidq; propriu extremę vnctionis ministrum nõ esse solum sacerdotẽ, anathema sit. Et quia hoc ordinatur ad remissionẽ pctõrũ, & oĩs sacerdos põt peccata remittere, ac proinde quilibet sacerdos potest hoc sacramẽtum ministrare, non ex cõmissione prælatorũ, sed ex officio: quia hoc non pertineat ad iurisdictionem. De iure verò & non de necessitate sacramenti requiritur: q̃ sit proprius sacerdos. Se-

pro-

proprio sacerdote deficiēte, quilibet sacerdos (præter religiosos) in necessitate potest, & debet communicare infirmum, & vngere.

QVAERITVR, an sanis debeat hoc sacramentum conferri? Respōdeo secundum S. Thom. & alios quòd non, Patet ex verbis Iacobi. 5. Infirmatur quis in vobis. Item quia hoc sacramentum est curatiuum, & exterius debet significare quod interius facit: curatio autem solis infirmis conuenit, ergo solis illi debent iniungi. Si autem quando vnguntur moriantur, non procedatur vlteriùs. Si verò sit dubium, vngat sub dubio dicens: si es mortuus, non te vngo: si verò non es mortuus, per istam vnctionem & suam pijssimam, &c. 221 Vnctionis sacramentum infirmis dādum.

QVAERITVR, vtrum oēs infirmi sint vngēdi? Respond. ꝙ communis sententia est, ꝙ solus infirmus qui est in periculo mortis probabilis, est capax 222 Infirmi in mortis periculo sunt vngenhuius

discednõ omnes. huius sacramenti. Probat S. Tho. quia hoc sacramentum est vltima medicina, vt etiam sonat ipsum nomen, extrema vnctio: ergo est adhibenda quando non est aliud remediũ, nec spes. Nec tamen infirmi oẽs qui sunt in tali periculo, sunt vngendi. Nam primo excipiuntur pueri quia in ipsa forma dicitur, indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti. Et eadẽ ratione excipiũtur ꝑpetuò dementes, quia nũquã peccauerunt actualiter. Nec beatissima virgo esset vngenda, quia caruit omni peccato. Is autem qui adultus baptizatur, si illico infirmetur ad mortẽ: est vngendus, vt tenet Paludе, & Hostiens. quia instant ei magna certamina. Excipiuntur etiã dãnati ad mortẽ, quia non sunt iam capaces salutis corporalis, qui est vnus effectus huius sacramenti. Excipiuntur etiã furiosi & amentes, qui habent dilucida interualla, nisi fuerint bonæ vitæ, & formaliter illud petierint. Hoc est pre-

pre-

pter defectum venerationis.

QVAERITVR, in quibus partibus est vguendus infirmus? Videtur, quod in omnibus, quia significat hoc sacramentum perfectam animæ curationem, ergo debet vngi in toto corpore: quia anima est in qualibet parte corporis. Respond. quòd in medicationibus corporalibus applicantur medicinæ non omnibus partibus quæ dolent, sed vbi est radix morbi. Et quia tres sunt radices morbi spiritualis, videlicet, ratio dirigens, appetitus mouens, & prosequens. Principia rationis per quæ intelligit, sunt sensus (nihil enim est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu) ideò vnguntur omnes sensus. Principium verò mouēs appetitum, est dilectio: vnde vnguntur renes, vbi viget dilectio. Fœminæ verò propter honestatem, nec in renibus, nec in ventre sunt vngendæ. Pedes vero vnguntur, quia sunt 223 Infirmi in quib⁹ corporis partibus vngēdi.

pro

prosecutiui, & executiuè se habent. Vnctio quidem in sensibus est de essentia, non autem vnctio in renibus. Quia principiũ dirigẽs, est principium omnium aliorum. Et ideò in aliquibus partibus non vnguntur: & melius esset, quòd non esset in vsu. At mutilati vnguntur in partibus proximis. Et etiam cæci à natiuitate sunt in oculis vngendi. Quia tales possent per aliquas sensationes desiderare videre mulieres. Est autem in præsentiarum summopere notandũ, & firma fide tenẽdũ: quòd ritus, & vsus quem sancta Romana ecclesia in administratione huius sacramenti obseruat, non repugnat sententiæ apostoli Iacobi, nec est contemnendus, nec mutandus. Sic eum difinitur in concilio Tridentino, Sessione. 14. de sacramento extremæ vnctionis. cano. 3. cuius verba sunt. Siquis dixerit extremæ vnctionis ritum & vsum quem obseruat sancta Romana eccle-

ſia repugnare ſententiæ Iacobi apoſto-
li, ideoque eum mutandum, poſſeque
à Chriſtianis abſque peccato contem-
ni, Anathema ſit.

QVAERITVR, vtrùm hoc ſacra- 224
mentum ſit iterabile? Reſpond. ꝙ ſic in
diuerſis infirmitatibus. Quia nō habet
effectum perpetuum, & per iteratione
non fit iniuria ſacramento, quaſi in ſuffi
ciēs ſit. In eadem infirmitate poteſt ite
rári. Quià habet pro materia infirmita-
tem periculoſam: & ſic quotieſcunque
ſit in periculo mortis, putà ſi cōualeſce
ret, & iterum perueniret ad periculum
mortis, eſſet vngendus. Et hæc de extre
ma vnctione ſufficiant.

Vnctiōis ſacramē tu itera-bile.

Sequitur Sacramen tũ Ordinis, de quo Magiſt. & do cto. tractāt in. 4. d. 24. & deinceps

PRIMO igitur quæritur, an 225
omnes ſeptē Ordines ſint ex
inſtitutione diuina? Poſtquā
Magi

Ordines oēs ſeptē an ſint

à Christi instituti.

Magister egit de sacramentis quæ spe-
ctant ad priuatū remediū singulorū fi-
deliū, hic incipit tractare de sacramen-
tis quæ dantur in officiū, & bonum com-
mune: vt ordo, & matrimonium. Re-
spond. igitur primò, ꝙ de sacerdotio, &
diaconatu nemo est qui ambigat, quin
sint à Chr̄o instituti, nec hæretici hoc
negant. Sed de alijs est dubium. Et Ma-
gister quidem dicit, quòd Christus reli-
quit omnes illos ordines seruandos in
ecclesia. Et Palude. 4. distinct. 24. quæ-
stio. 1. tenet ꝙ omnes septem ordines
sunt ex institutione diuina. Ita etiam S.
Thom. videtur sentire, quia hic dicit
quod omnes septem ordines cōferunt
gratiam ex opere operato, quod non
posset esse, si ab ecclesia essent institu-
ti. Respond. in primis, ꝙ isti septem or-
dines non sunt nouum inuentum, vt pu-
tant hæretici, sed est antiquissimum in-
stitutū, quo nullum est antiquius. Quod
probatur testimonijs sanctorum. Ana-
cletus

cletus qui ſucceſsit Clementi in capit. 2.ſui decreti dicit, Epiſcopus Deo ſacrificans, teſtes ſecum habeat, & plures quàm alij ſacerdotes: in ſolennioribus diebus habeat tres aut quinq; Diaconos, & ſubdiaconos, atque reliquos miniſtros, qui ſacris induti, &c. Ecce meminit diaconorum, & ſubdiaconorum, & aliorum. Et Ambroſius etiã ſuper illud Ephe.4.ipſe dedit quoſdã quidem Apoſtolos, alios Euangeliſtas, fundat omnes ordines in ſacraſcriptura. Et Euſebius libr.6. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. capit.33.recitat epiſtolam Cornelij ad Fabianum Antiochenũ, in qua numerat omnes ordines eccleſiæ, qui quidẽ præceſsit nos mille annis & ſupra. Et Hieronymns in argumento quod proponitur epiſto.1. Theſſaloni. dicit, Hos Theſſalonicenſes collaudat apoſtolus, ſcribens eis per Titũ diaconũ, & Oneſimum acolytum. In ſacra verò ſcriptura non eſt de omnibus mentio. Poſſumus

igitur dicere, quod oēs hi ordines fuerunt instituti à Christo in particulari ipso viuente, vel saltē generaliter. Quia Christus dedit potestatem ecclesiæ constituendi ministros, & consecrandi eos ad sacrificium eucharistiæ. Et ad hunc sensum omnes hi ordines sunt instituti à Christo, per hoc quod dedit potestatē ecclesiæ consecrandi, & ordinandi ministros quotquot viderit expedire.

226 QVAERITVR, vtrum ordo sit sacramētum? Resp. & est conclusio catholica ordo est sacramētum. Patet, quia in cōcil. Florent. numeratur inter septē sacramenta. Item patet ex eis quæ superius adduximus cùm de sacramentis in genere ageremus. quęstio. 5. Et itē quia in concilio Tridenti. Sessione. 23. de sacramento ordinis. cano. 3. sic dicitur. Si quis dixerit ordinem, siue sacram ordinationem non esse verè & propriè sacramentum à Christo domino institutū. vel esse figmentū quoddā humanū,

Ordines omēs, an sint sacramētum.

exco-

excogitatum à viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros verbi Dei & sacramētorum, anathema sit. Sed est dubiū, vtrum omnes ordines sunt sacramenta? Durandus dicit, ꝙ solū sacerdotiū, per quod datur potestas spūalis, est sacramētū. Alij autē ordines sunt quædā sacramentalia. Adducit ad hoc multas rōnes in 4. dist. 12. qō. 2. quas ibi poteris videre. Cōtrariū tenent oēs doctores videlicet, ꝙ oēs ordines sunt verū sacramentū. Hoc asserit S. Tho. Albertus Mag. Bonau. Almain, Maio. Palud. &c. Et patet, quia quilibet ordo est sacrę rei signū, & in eo datur aliquid spirituale, quia si alij ordines essent sacramētalia, darentur simul cū sacerdotio. Sed ritus ecclesiæ est in cōtrariū, imò multi recipiunt minores ordines nolētes vlteriùs progredi, ergo. Ego nisi esset opinio tātorū doctorū in contrariū, mallē tenere cū Durand. nescio enim quid cogat po-

nere quatuor ordines minores eſſe ſa-
cramẽtũ. Nã quæ poteſtas eſt illa ſpũa-
lis in acolyto, deferre cereos, & offerr.
materiam ſubdiacono? Item prima ton-
ſura nec eſt ſacramentum, nec propriè
ordo. & in oſtiario qui habet aperire fo-
res eccleſiæ, &c. Sed tamẽ quia omnes
oppoſitũ tenent nõ auderẽ hoc tenere.
Caiet. in. q. quam fecit de ritu ordinis, te-
net cum Durando, quòd ſolum ſacerdo-
tium eſt ordo, & ſacramentum à Chri-
ſto inſtitutum, omnia verò alia ſunt ſa-
cramentalia. Idem videtur dicere. 3. p.
q. 6. articu. 3. Primo, dico igitur ad hanc
quæſtionem, ꝙ tenẽda eſt cõmunis opi-
nio. Secundò dico, quod opinio Duran-
di, & Caietani eſt probabiliſsima, ſcili-
cet ꝙ ſolũ ſacerdotum eſt ſacramẽtum,
vel ſaltem, ꝙ quatuor minores ordines
nõ ſunt ſacramentũ. Hoc probatur, quia
ſacramentum eſt de iure diuino, ſed nõ
oẽs ordines ſunt de iure diuino, ergo.
Probatur minor, nam. c. à multis. de ęta-
te

te & qualitate ordinandorum. Innocentius vt doctissimus allegans Vrbanum papam dicit. Vrbanus ait quod solùm presbyteratus & diaconatus sunt sacri ordines, & quod illi solùm leguntur fuisse in primitiua ecclesia. Et illa sententia Vrbani habetur ca, nullus, distinctione, 60, & in dicto capitu. à multis. dicit Innocentius tertius, subdiaconus hodie inter sacros ordines computatur, ergo non anteà. Item. 1. Timoth. 3. & ad Titum primo. Paulus describit mores Episcoporum & diaconorum: & nihil dicit de subdiaconis, nec de alijs minoribus ordinibus. Fit tamen mentio de minoribus ordinibus apud Dionysium capit. 3. ecclesiasticæ Hierarchię, vbi etiam meminit de ostiarijs. Et beatus Ignatius martyr epistola. 8. ad Antiochenos cùm duceretur ad martyrium. Saluto sanctum presbyterum vestrum, saluto Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, Exorcistas, &c. Et est determinatio Concilij

Loadi.cap.23.& Chalced.c.14.& Car thaginensis tertij capit.16.& Carthaginensis quarti capi.6.& Toletani primi cap.28.in omnibus his aprobantur minores ordines. Et in epistola secunda beati Clementis, decretum Innocentij, & decretum Zozimi.c.3.Sunt ergo minores osdines ab antiquo in ecclesia.Et sic est probabile quod sunt de iure diuino, & per consequens sacramentum.

227 QVAERITVR, an in nouo testamento sit sacerdotium visibile,& externum,sitq; aliqua realis & vera potestas cõsecrãdi verũ corpus & sanguiné Dñi nr̃i Iesu Chr̃i, & pctã remittendi & retinẽdi.Respondetur cõclusione affirmatiua firma fide tenenda,vt diffinitur in concilio Tridentino. Sessio.23. de sacramento ordinis.can.1. cuius ista sunt verba, Siquis dixerit non esse in nouo testamento sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquando cõsecrãdi & offerendi veri

corpus

corpus & sanguinem dñi & peccata re mittendi & retinendi, sed officiũ tm̃ & nudum ministeriũ prædicandi euange lium, vel eos qui nõ prædicant prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.

EST etiã firma fide tenendũ, ꝙ præ ter sacerdotiũ iam dictũ sunt in ecclesia catholica alij ordines, & maiores & mi nores. Ita em̃ diffinit vbi nũc supra can. 2. his verbis. Si quis dixerit præter sacer dotium nõ esse in ecclesia catholica a-lios ordines & maiores & minores, per quos veluti per gradus quosdam in sa-cerdotium tendatur, anathema sit.

QVAERITVR, an per sacrã or dinationẽ detur spiritus sanctus & im-primatˉ character indelebilis, ita vt nul-lo pacto posit fieri laicus q semel priùs fuit sacerdos. Rñd. affirmatiuè: & ita est firma fide tenẽdũ. Sic em̃ diffinitˉ in cõ-cil. Trid. vbi supra can. 4. vbi sic dicitˉ. Si quis dixerit per sacrã ordinationẽ non dari Spiritũ sanctum, ac proinde frustra 228

epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſa ctum, aut per eam non imprimi characterem vel eũ qui ſacerdos ſen el fuit, laicum rurſus fieri poſſe, anathema ſit.

229 QVAERITVR, vtrùm in hoc ſacramẽto requiratur aliqua materia. Reſpond. quod ſic. Quia omnia ſacramenta conſtant ex rebus & verbis, vt ait Augusti. & Magiſt. Hæc eſt omniũ ſententia. Hoc patet ex definitis ſuperius in materia de ſacramentis in genere. Eſt autem in ſacramento hoc materia illud per cuius traditionem confertur ordo, Sicut presbyteratus, traditur per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectioné. Diaconatus verò per libri Euangeliorum traditionem. Subdiaconatus per traditionem calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita. &c. Vide concilium. Florenti. cuius ſunt verba præcedentia. Sed S. Thom. ponit differẽtiam inter meteriam aliorum ſacramentorũ & materiam huius. Quia in aliјs ſacramen

In ſacramẽto ordinis requiritur materiá.

men

mentis tota efficacia est ab ipso Deo & sacramento, sed in hoc efficacia est partim à ministro: episcopus em̃ dat potestatem. Idcirco in alijs sacramentis materia concurrit, vt det perfectionem sacramento: quia minister nihil facit: in hoc autem sacramēto materia se habet solùm materialiter. Et licèt in hoc conueniant omnes, non est tamen mihi certum, quòd sit necessarium ex iure diuino, ꝙ tradatur calix presbytero. Quia in scriptura non habetur, ꝙ fiebat nisi per manuum impositionem. 1. ad Timoth. 4. & 5. Nec etiam requiritur manuum impositio: vt patet in cap. presbyter. de sacramentis non iterandis. Ideò forsan solis verbis consecrat Episcopus sacerdotes & alios ministros. Nolo tamen aliquod nouum asserere.

QVAERITVR, supposito re- 230
quiratur materia an sit necessarius con In sacra
tactus materię, putà calicis, vel libri? Ca mēto or
ieta. quolib. 1. q. 16. dicit quòd sine du dinis an
requirat̃

 bio

cōtactus materiæ. bio requiritur realis contactus: nec hoc debet haberi pro opiniōe. Quia in omnibus alijs sacramentis vbi est materia requiritur contactus realis, vt in baptismo, confirmatione, & extrema vnctione, ergo etiā hic. Et hoc etiam significatur in forma, quia dicitur: accipe calicē, vel librum. S. Thom. in additionibus q. 34. arti. 5. 3. relinquit hoc sub dubio. Et credo ꝙ posset sustineri, ꝙ non est necessarius iste contactus, Nec ego dānarem eum, qui negligētia vel alia ex causa nō tāgeret calicem, & haberem eum pro sacerdote. Quia tempore apostolorum non erat necessarium nisi imponere manus. De alijs minoribus ordinibus non est dubium nisi quòd non requiritur. Verum est, quòd si deficeret illud per quod ecclesia intendit tradere officium, quòd non haberet illud. Durandus dicit, ꝙ in suo episcopatu non tradebatur liber diaconis. Sed sequenda est cōmunis opinio. Iste autem con-

tactus

tactus debet esse simul cũ verbis, vt verificetur forma quę de prę senti dicit, accipe. Sed satis est, quòd sit ibi simultas moralis: sufficit enim quòd post verba sine multa mora succedat contactus.

QVAERITVR, an ordo imprimat characterẽ? Resp. ꝙ sic, quia character est potestas ad aliquid spirituale: & hic datur potestas circa sacramentũ Eucharistiæ. Et ita etiã habetur in concilio Floren. Et de sacerdotio nõ est dubitãdũ. De alijs si nõ sunt sacramẽta, non est opus dicere, ꝙ imprimãt characterem. 231

Ordo imprimit characterem.

QVAERITVR, an sit ordo in his sacramentis? i. an possit fieri diaconus qui nõ est subdiaconus? Respond. ꝙ est præceptum ꝙ seruetur ordo, & qui illũ non seruaret, peccaret mortaliter. Secundò dico, quòd iste ordo non est de necessitate sacramenti. Patet in capitul. vnico, de clerico ordinato per saltum. Et qui sic est ordinatus, debet suscipere ordines quos omisit duntaxat, à quo

Ordo in ordinib⁹ recipiendis.

cun-

cunque ordine incipiatur. Si autem nõ sit baptizatus, & susceperit ordinem, non est ordinatus: vt patet in capitu. veniens. de presbytero iam ordinato & non baptizato. vbi præcipitur, ꝙ baptizetur, & iterum ordinetur. Si autem ordinetur antequam sit confirmatus, ordo tenet. Et puto ꝙ qui ex negligentia hoc præteriret, non peccaret mortaliter licèt malè faceret. Quia non inuenio præceptum aliquod.

223 QVAERITVR, an qui suscipit ordines in peccato mortali peccet mortaliter? Respondeo ꝙ si suscipiat sacerdotium, peccat mortaliter, & est sacrilegus. Idem est de alijs ordinibus si sint sacramenta. Si autem non sint sacramẽta videtur quòd non sit mortale, licet sit graue peccatum: maximè si suscipiat diaconatum quia ordinatur proximè ad eucharistiã. Sed vtrum peccet mortal.ter qui exercet officia sua in peccato mortali? de sacerdotio clarum est.

Ordines recipiẽs in peccato mortali an peccet mortaliter.

De

De alijs ordinibus ſi ſunt ſacramēta, eſt mortale. Et quia hoc communiter non tenetur quòd tales peccent mortaliter, ideò veriſimilius eſt quod hęc non ſint ſacramenta. Nihilominus (citra mortale) grauiter peccat talis.

QVAERITVR, quis ſit collator huius ſacramēti? S. Tho. cum alijs dicit ꝙ ſolus epiſcopus eſt miniſter ex officio ſuo. Patet, quia ſolus epiſcopus poteſt conſecrare templa, vaſa, & veſtes ſacras ſed homo magis dicat̄ diuino cultui per ſuſceptionem ordinis quam illa, ergo. Item patet ex capi. quanto. extra de cōſuetudine. Sed vtrū conferre ordines poſsit cōmitti nō epiſcopo? Reſpōdeo de minoribus ordinibus iā in iure eſt collata poteſtas aliquibus nō epiſcopis. Poſſunt enim minores ordines conferre presbyteri Cardinales, & aliqui abbates ſancti Benedicti circa monachos ſuos, & laicos ſibi ſubditos. Vt habetur. 21. d. c. 1. & . 2. Et. d. 69. capit. quoniam. 234

Ordinū collator quis ſit.

niã. Et de ętate & qualitate. capi. cũ contingat. &. c. abbates. de priuilegijs lib. 6. & in multis alijs locis iuris. S. Tho. 3. p. q. 72. art. 11. &. 4. d. 7. q. 2. art. 1. q̄stiũcu. 3. ait quòd solus episcopus habet ex officio suo cõferre ordines, & ꝙ episcopus non potest committere non Episcopo potestatẽ conferẽdi ordines, etiam minores: & si committeret, nihil esset factũ. Papa verò potest committere sacerdoti collationem minorũ ordinũ: & reuera iam cõmisit. Quartò dicit S. Tho. ꝙ collatio ordinum etiam minorum non potest committi nõ sacerdoti, nec collatio maiorum ordinũ potest committi nisi episcopo duntaxat. Idem tenet Palude. 4. d. 7. q̃. 4. conclusione. 2. Nam episcopus & Papa non habent maiorem potestatẽ circa corpus Christi verum quàm sacerdos: licèt circa corpus Christi mysticum, quod est ecclesia, Papa habeat plenissimam potestatem: ac proinde illa quæ spectant ad corpus

corpus Christi mysticum, subsunt potestati papæ. Et quia potestas conferendi ordines est solùm potestas circa corpus Christi mysticum, ideo papa potest cōmittere alteri talem potestatem. Quia verò potestas supra corpus Christi mysticum, præsupponit potestatem supra corpus Christi verum, ideo papa non potest committere potestatem cōferendi ordines, nisi sacerdoti, qui solus habet potestat suprra Corpus Christi verum.

QVAERITVR, vtrū papa possit cōmittere potestatem cōferendi maiores ordines sacerdoti non episcopo? S. Tho. & Palu. & oēs dicunt ꝙ non, nihilominus (vt fertur) papa de facto commisit quibusdā abbatibus S. Benedicti. Saltem de subdiaconatu vidi ego bullam papæ quibusdā abbatibus ordinis Cistercensium concedentis ꝙ possent conferre subdiaconatum. Et alij dicunt ꝙ diaconatum etiam. Si hoc ita est, ego 235

235 Papa an possit cōmittere sacerdoti potestate conferēdi maiores ordines.

dico

dico, ꝗ factum tenet, excepto sacerdotio alias esset intolerabilis error. Quis de hoc dubitet Maioris dicens, ꝗ i. pa extendit potestatem suam, & quo securius esset ab alio sumere. Sed pu illud securum & sine scrupulo.

SED quæritur, vtrum episcopi hæretici, schismatici, aut excommunicati posint ordines conferre? Responde quòd peccant tã recipientes, quàm ipsi conferentes: nihilominus tamen vero ordines, & verum sacramentum confe runt: non est dubium.

237 Fœmina ordinari nõ põt. QVAERITVR, de impedimen tis ordinandorũ, vtrũ fœmina posit or dinari? Respon. secundũ omnes ꝗ non Probat S. Tho. quia ordinati in eccles præficiũtur alijs, fœminę verò officium est subesse. Et prohibitum est eis in ec clesia loqui, quod est officium sacerdo tum. Item secundùm Paulum. 1. Cor thio. 11. Mulieres non debent tonder sed initium ordinis est tonsura.

DE

DE pueris verò nō habētibus vsum rationis dicit S. Thom. ꝙ esset contra præceptum eos ordinare saltem maioribus ordinibus, quia minoribus permittitur in septennio. Secundò dicit, ꝙ si puer in cunis ordinaretur in sacerdotē, esset verè ordinatus. Quia hoc sacramē tum non requirit actum ex parte suscipiētis sicuti & baptismus & cōfirmatio.

QVAERITVR, de ordinandis quæ ætas & qualitates & merita requirantur vt licitè atque legitimè ordinentur. Respond. quia hac de re ad longum abundè atque apertissimo sermone disseruit atque diffiniuit Conciliū Tridenti. sessio. 23. de sacramento ordinis: agens de reformatione à capitul. 4. deinceps per quam plura alia, vide & consule locum præallegatum. 238

Homicida ante baptismum non potest ordinari ex traditione ecclesiæ. Si autem de facto ordinetur, tenebit. Per homicida verò intelligitur in proposi- 239

Homicida & mutilator nō pōtest

dinari ni si occidat in sui defensionē.

to omnis voluntariè occidens, aut mutilās aliū, vel seipsum post baptismum: siue id fiat licitè, siue illicité: omnis talis est irregularis, vt iudex lictor, & etiā mandans, præcipiens, consulens vt aduocatus. Et extenditur hæc irregularitas ad eos qui comitantur malefactorē seruantes, ne rapiantur illi qui sunt mortè plectendi, quia quodammodo cooperantur homicidio. Nescio tamē an hoc sit expressum in iure: si non est, nollem eos condemnare: nisi propterea ꝙ qui cōmitantur, sic sunt causa mortis, quòd non sequeretur mors, si ipsi nō custodirent reum. Qui autem pugno extrahit dentem nō dicitur mutilator, ac proinde nec est irregularis: quia pœnæ iuris sunt restringendæ, non ampliandæ. De illis qui sunt causa, ꝙ alij citiùs moriantur, vt assistentes infirmis, & vertentes illos: dico ꝙ si hoc faciant hoc prætextu vt citiùs moriantur, fortè manent irregulares. Si verò bona fide id faciant non

non puto eos incurrere irregularitatẽ, quæ est grauissima ecclesiæ pœna. Si autem quispiam se defendendo alium occidat, antiquitus & tempore S. Tho. erat irregularis, vt ipse ait. 3. p. q. 39. art. 4. Sed hoc reuocatum est per nouam Clementinam, si se defendat cũ moderamine inculpatæ tutelæ. Et talis non erit irregularis, sed poterit illotis manibus celebrare. Ecclesiastici quoque ponentes iudices, & exhortantes vt seruent iustitiã, non sunt irregulares. Non defendẽs autem alium qui occiditur, si ex officio tenebatur defendere, est irregularis. Si verò non tenebatur ex officio, non erit irregularis.

QVAERITVR, de annexis ordini. Primò de tonsura, an sit conueniens ꝙ ecclesiastici tondeãtur? S. Tho. & oẽs dicũt esse conueniens. Primò ratione figuræ, nã significatur ecclesiasticos esse reges: iuxta illud Petri, vos autem genus electũ, regale sacerdotium. Et figu- 140 Clericis tonsura cõueniẽter datur

ra circularis eſt perfecta, ſignificat per-
fectionē quam habere debet ſupra o-
mnes alios, qui debet regere in ſpiri-
tualibus. Tondentur autem in ſuperio-
ri parte ne mens eorum temporalibus
impediatur à diuinis contemplandis,
vel vt ait Beda, & Rabanus, geſtamus
coronam non quia Apoſtolus Petrus
ſic attonſus eſt, ſed propter paſsionem
Chriſti in qua ipſe coronam ſpineam
portauit. In concilio Toletano.4. ſub
Iſidoro. capit. 41. reprehenduntur om-
nes clerici qui in ſummitate capitis
modicum circulum tondebant, & dici-
tur quòd iſte eſt modus hæreticorum,
& mandatur quòd detonſo ſuperius
toto capite, inferiùs ſolum circulum
coronæ relinquant. Hæc in Hiſpania
ſeruabantur iam omnia lapſa ſunt i
deterius. Tonſura autem iſta non e
ordo ſecundùm Sanctum Thoman
Nam ordines non dantur ſine celebr
tione miſſæ tonſura autem datur ex

ce

celebrationem. Item quia per tonſuram nulla poteſtas particularis ſpiritualis datur, nec tonſura ordinatur ad eucharistiam, ad quam omnes ordines diriguntur: & ſic propriè loquendo non eſt ordo, quanuis in capitul. cùm contingat. de ætate & qualitate ordinandorum. clericatus vocetur: ſed capitur ibi ordo largè. Eſt autem Hiſpaniæ magnus abuſus, quòd tonſurantur ſine quacunque intentione veniendi ad chorum. Et ego nõ dubito quin peccent pluſquam venialiter epiſcopi qui hoc ſciunt, & tamen de hoc non pœnitent. De dignitate epiſcoporum, cardinalium, quam antiqua ſit, & vtrùm dignitas epiſcoporum ſit iure diuino maior quàm cæterorum ſacerdotum, quia raro hac ſcientia fideles indigent, nõ nihil in præſentiarũ ponendum iudicaui,

In primis firma fide tenendum eſt in eccleſia catholica eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ

constat ex episcopis, presbyteris, & ministris, ita enim diffinitum est in Concilio Tridentino. sessio. 23. Canone. 6 his verbis. Si quis dixerit in ecclesia catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis presbyteris & ministris, Anathema sit. Deinde etiam firmiter tanquam de fide est tenendum, episcopos presbyteris esse superiores, habereque potestatem confirmandi & ordinandi, nec huiusmodi potestas est episcopis cum presbyteris communis. Tandem firmiter est fide tenendum, ordines ab ipsis episcopis collatos, esse validos & firmos veros & reales, sine vllo populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione. Postremò fide item firma est tenendum non esse legitimos verbi & sacramentorum ministros, qui nec ab ecclesiastica & canonica potestate sunt ritè ordinati, nec missi. Ista enim

omnia

omnia diffinita ſunt in Concilio Tridentino, vbi nunc ſupra Canon. 7. cuius verba ſunt. Si quis dixerit epiſcopos nõ eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis eſſe cum presbyteris communem, vel ordines ab epiſcopis collatos ſine populi vel poteſtatis ſecularis conſenſu aut vocatione, irritos eſſe. Aut eos qui nec ab eccleſiaſtica & canonica poteſtate rite ordinati nec miſsi ſunt, ſed aliundè veniunt, legitimos eſſe verbi & ſacramentorum miniſtros, Anathema ſit.

Ex quibus conſtat hæreſim eſſe ſi dicas non eſſe legitimos ac verè epiſcopos qui authoritate Romani Pontificis ſunt aſſumpti. Hoc corollarium etiam patet, vbi nunc ſupra cano. 8. Similiter hæreſis eſt ſi dixeris ſacram vnctionem, qua eccleſia in ſancta ordinatione vtitur, aliasq́ue ſacramenti or-

dinis cæremonias non esse requisit[as], sed cōtemnendas & perniciosas, vt d[e]finitum est ibidem. Cano. 5. & hæc de ordine dicta sufficiant.

Sequitur de Sacramēto Matrimonij.

De sacramēto Matrimonij tractat Magist. 4. dist, 26. & reijcit illud in vltimum locū, q[uia] minus spiritualitatis habet. Vel quia priùs tractandum erat de Sacramentis quæ ordinantur ad propagationē spiritualē, & postremò de matrimonio q[uod] quidem ordinatur ad propagationem corporalem seu temporalem.

243 QVAERITVR in primis, vtrùm matrimonium sit sacramentum? Respondeo, quòd sic, & non est dubium. Nam ad Ephesios. 5. dicitur, sacramentum hoc magnum est ego autem dico in Christo & ecclesia. Et ita etiam deter

Matrimonium est sacramētum.

determinatur in Concilio Florentino ſub Eugenio.4.Idem patet ex his quæ ſuperius habes de ſacramentis in genere.quæſtio. 5. Item in eodem Concil. Tridentino.ſeſsione. 24, de ſacramento matrimonij eadem ſententia diffinitur in Cano. 1.cuius verba ſunt. Si quis dixerit matrimonium non eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ ſacramentis à Chriſto domino inſtitutum,ſed ab hominibus in eccleſia inuectum,anathema ſit. Vtrùm autem conferat gratiam ? Reſpondeo quòd ex eo ꝙ eſt ſacramentum, confert gratiam non ponentibus obicem, & ritè ſuſcipientibus, vt determinatur in Concilio Tridentino, ſeſsione ſeptima,capitulo ſexto,ſeptimo, & octauo. Inſtituit autem Chriſtus hoc ſacramentum Matthæi. 19. quando illud commẽdauit,& præcepit inſeparabilitatem dicens. Quod Deus coniungit, &c. ex quo, & ex traditione Apoſtolorum,

 &

& magis ex traditione ecclesiæ, habemus quòd matrimonium sit sacramentum.

242 QVAERITVR, an liceat fidelibus plures simul habere vxores. Respondetur negatiuè, & ita de fide tenendum est. Vt diffinitur in Concilio Tridentino, vbi supra Canone. 2. cuius ista sunt verba. Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum Anathema sit.

243 QVAERITVR, vtrùm status coniugalis sit anteponendus statui virginitatis vel cœlibatus. Respondetur negatiuè, quòd nec præferendus, nec æquandus est illis. Et ita firma fide tenendum est. Sic enim diffinitur vbi supra Canone. 10. cuius verba sunt. Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu

libatu

libatu quàm iungi matrimonio, anathema sit.

QVAERITVR, vtrum matrimonium contractum per procuratores sit sacramentum? Respondet Caietanus, quòd non. Quia nullum sacramentum potest confici per procuratores. Item, quia receptio gratiæ est actus personalis, & non potest dari vno pro altero, sed in quolibet sacramento nouæ legis confertur gratia, ergo. Dicimus tamen quòd licet talis contractus non sit sacramentum, est tamen verum matrimonium. Et ita factũ fuit Genes. 24. per Eliezer seruum Abraham & patrem Rebecæ. Dicit Caiet. quòd faciliùs posset Papa dispensare in hoc matrimonio quàm in eo quod est sacramentum contractum, scilicet inter præsentes, & per verba de præsenti. 244

Matrimonium per procuratores contractum no est sacramentum.

SED cùm in omni sacramento inueniatur materia & forma, quæritur quæ sit materia, & quæ forma huius 245

Matrimonij materia & forma.

sacra

ſacramenti? Palude.4.diſt.29.ait ꝙ con iuges ſe habent vt materia; & verba vt forma. Capreo.diſ.26.dicit hoc eſſe probabile. Melius tamen dicitur cū S. Tho. ꝙ verba vnius cōiugis ſunt materia, & verba alterius ſunt forma: putà verba quæ primò proferuntur ſunt materia, & quæ proferuntur vltimò ſunt forma, quia perficiunt ſacramentum. Ita ait S. Tho.4.d.26.q.2.arti.1.2.&.4. d.1.q.1.arti.1.quæſtiuncula.5.2. Et ita tenendum eſt ſine dubio.

246 QVAERITVR, cū in matrimonio inueniantur quatuor, ſcilicet conſenſus, contractus, mutua obligatio ſeu vinculum, & copula carnalis, quod horū ſit matrimoniū? Reſpondeo primò ꝙ non eſt copula carnalis: nā inter Mariam & Ioſeph fuit verum matrimonium ſine tali copula. Secundò dico, ꝙ nec conſenſus eſt matrimonium. Patet, quia matrimonium ſemper durat, conſenſus verò non ſemper durat. Et ſi dicas

Matrimonium eſt obligatio mutua inter virum & vxorem.

dicas ꝙ durat virtualiter, dico ꝙ hoc nihil est, quia aliquando pœnitent ambo, & dolent de matrimonio. Tertiò dico, quòd nec ipse contractus est matrimonium. Quia contractus non est nisi expresſio consensus, sed consensus non est matrimonium, ergo nec expresſio illius. Item quia matrimonium semper durat, estque inseparabile, contractus verò finitur. Restat igitur, quòd matrimonium est vinculum & obligatio illa mutua inter virum & fœminam. Patet quia matrimonium nihil aliud sonat quã organũ quoddam & instrumẽtum ordinatum ad procreandos liberos: sed vinculum istud quod ponimus ad copulam carnalem inter virum & vxorem, requiritur & est necesſarium, & sufficiens ad procreationem liberorum ac eorundem instructionem : ergo illud est matrimonium. Istam mutuam obligationem ponit Paulus. 1. Corinthio. 7. Mulier potestatem sui corporis

non habet, ſed veriſimiliter & vir poteſtatem ſui corporis non habet ſed mulier, &c.

247 Conſenſus in matrimonio neceſſarius.

QVAERITVR, de cauſa huius vinculi, vtrum ad hoc vinculum cauſandum requiratur & ſufficiat conſenſus? Reſp. ꝙ conſenſus requiritur & eſt omnino neceſſarius & ſufficiens cauſa matrimonij: & in hoc oēs doctores conueniunt. Sed dices, nemo erit certus de matrimonio, quia nemo poteſt eſſe certus de conſenſu alterius coniugis. Reſpon. ꝙ non requiritur ꝙ habeamus certitudinem euidentiæ, aut fidei de conſenſu alterius, ſed ſufficit certitudo moralis ad ſecuritatem conſcientiarum.

248 Dubitās de cōſenſu coniugis quid facturus.

SED quid ſi vnum coniugum habeat certas coniecturas quòd alter coniux non conſenſit, vt quando quis contraxit cum puella quæ omnino reſpuebat tale coniugium, tñ victa fuit à parentibus, an talis poſsit exigere & reddere debitum? Scotus. 3. diſt. 4. & alij Docto

res

res dicunt, ꝙ quãdo non constat ꝙ fuit timor cadẽs in virum constantem, & ꝙ ex tali metu consensit, si illa dixit ꝙ accipiebat eum in virum, deponenda est conscientia, & licitum est reddere & exigere debitum: & non est dubium de hoc. Si autem non posit conscientiam deponere, quia vidit maximam resistentiam puellæ, & modò dicit se non consensisse, dico quòd hac conscientia durante, nec potest petere, nec reddere. Imò dico, quòd in tali casu estò illa petat, non potest vir reddere debitum nec peccat per hoc, sed debet illi dicere quòd consentiat modò. Et si consentit, bene quidem. Si autem dicat, quòd nec tunc vult consentire, non potest exigere, nec reddere: non est dubium. Si autem sit dubium pro vtraque parte, deponat conscientiam, & petat & reddat. Quod si non potuerit cõscientiam deponere, non poterit petere, nec reddat debitum. Si verò habuerit formi-

dinem

dinem quòd illa non consensit, dico ꝙ sufficiet probabilitas pro altera parte & agat contra illam formidinem. Et si in tali casu dicat, quòd non consensit, non credat ei: nam si crediderit, non poterit ad eam accedere. Et si illa petierit debitum, faciat eam priùs consentire, & postea reddat.

249 QVAERITVR, quid faciendum quãdo aliquis cõtraxerit cum aliqua secretè, & posteà ille negat matrimoniũ & contrahit publicè cũ alia, an illa priùs relicta posit contrahere cum alio? Respõdeo, quòd si illa habeat apparentias quòd ille non consensit secum in matrimonio: vt putà quia erat magna inæqualitas inter illos, quia ille erat nobilis, & ipsa filia agricolæ, & ipse iurat se non consensisse cum ea, tunc apparentia sufficiens est, quòd non consensit: & sic illa poterit transire ad matrimonium aliud. Si tamen illũ non potest omnino credere nisi quòd consensit,

Coniugũ altero dicente se nõ cõsensisse, an alter liber maneat.

sit dico q cum illa conscientia non potest accedere ad aliud matrimonium.

QVAERITVR, an requiratur quod cõsensus interior exprimatur exterius ad hoc vt fiat matrimonium? Respondeo secũdum omnes quòd sic. Patet apud Sanct. Thom. 4. distin. 27. q. 2. Et Palude ibi. q. 2. articul. 2. & Durandus ibi. q. 1. & Scotus, q. vnica. Et glossa. capit. tuæ fraternitatis. extra de sponsalibus. Matrimonium enim est sacramentũ: at in sacramento oportet quòd interueniat aliquod signum sensibile. Et in capitu. cum apud. de sponsalibus. dicitur, quòd requiritur expressio exterior non solum ad hoc quòd cognoscatur, sed etiam ad hoc vt sit matrimonium. Item probatur, quia nũquam homines se contraxisse putant donec proferantur verba, quantuncunque cognoscant inuicem cõsensus interiores. Sufficiunt autem signa exprimentia hunc consensum: & illa vocantur in propo- 250

Cõsensus interior matrimonij debet exterius exprimi.

ſito verba. Et etiam ſi pater loco puellæ dicat quòd ſic, illa præ verecundia tacente: hoc ſufficit, non eſt dubium. Si verò aliùs à patre exprimeret conſenſum puellæ, ipſe tacente & conſentiente, ſufficiet in foro conſcientiæ. Sed forte in foro contentioſo damnaretur & non admitteretur.

251 Conſenſus & verba de futuro non ſufficiũt ad matrimoniũ.

SED vtrùm ad matrimonium ſufficiat conſenſus & verba de futuro? Reſpon. ꝙ non, ſed requiritur ꝙ conſenſus & verba ſint de præſenti. Vt expreſsè habetur in ca. tuæ fraternitati. de ſponſalibus, Accipio te in meam in craſtinum & deinceps, non eſt matrimonium. Si autem dixerit aliqua verba ambigua, quæ poſſunt habere duplicem ſenſum, ſtandum eſt in foro conſcientiæ intentioni cum qua illa protulit: an ſcilicet dixerit ea animo contrahendi, an non. In foro autem exteriori ſtandum eſt coniecturis.

252 QVAERITVR, de illo qui cõtra

xit

xit cum aliqua proferēs exteriùs verba & interiùs non habens cōsensum, an sit matrimonium? Respondeo, quòd non. Quia deficit consensus interior. Ideò caueant sibi fatuæ puellæ. Sed vtrùm saltem talis teneatur eã ducere in vxorem? Scotus. 4. dist. 30. qō. 1. dicit omnino ꝙ sic: quia fecit illi iniuriam in illo contractu exteriori nõ cõsentiẽdo. Idẽ dicit Adrianus, & Palude. Ideò ne putent isti nequam homines impunè se hæc scelera patrare. S. Tho. dist. 24. q. 1. artic. 2. quæstiuncula. 4. dicit, ꝙ in foro conscientiæ non impunè agit qui sic deludit puellam: non tñ dicit ꝙ tenetur eam ducere. Nec qui dicunt, ꝙ tenetur eam ducere, sufficiẽter probant. Timeo tamen ꝙ est sicut illi dicũt, & est verisimile, & vellem esse verum.

Verba ꝓferens cõsensus, sine cõsensu interiori, verè cõtrahit.

QVAERITVR, vtrũ qui contraxit matrimonium, possit ad religionem transire? Respõdeo, ꝙ postquàm matrimonium est cõsummatum, non potest. 253

Matrimonium cõtrahẽs de præsen-

Et ita tenent omnes doctores. Et est determinatio ecclesiæ. Probat S. Thomas quia nullus potest dare alienum, sed cõsummato matrimonio, neuter coniugum est sui iuris, iuxta illud Pauli, vir sui corporis potestatẽ non habet sed vxor, ergo. Et de hoc sunt multa iura in titulo de conuersione coniugatorum. Sed ab hac regula generali sunt exceptiones. Prima quando vnus coniugum commisit adulterium, alter potest trãsire ad religionem liberè: vt habetur expresse capit Agathosę. 27. q. 2. Seccũda exceptio est, si vterque coniugum voluerit profiteri religionem, tunc licebit ambobus ingredi eam. Est tamen notãdum ꝙ de licentia vnius coniugis alter potest transire ad religionem: dummodo ille qui dat licentiam ingrediatur etiam religionem, vel sit in ætate senili in qua non sit ei periculum continentię. Nam si tale periculum ei immineret, illa licentia nihil valeret, & professio alterius

tlante copula ã potest religioné ingredi.

Post matrimoniũ consummatũ qs possit religionẽ ingredi.

rius nulla esset. Si autem sit in ætate tam senili, quòd iudicio prælatorum non sit ei periculum de castitate, tunc potest dare licentiam, etiam si alter coniux maneat in seculo. De istis sunt multa loca in iure, videatis vos illa. Dicit etiam Paluda. 4. distinct. 27. quæst. 3. ꝙ quotiescũque licet viro transire ad religionem, licet etiam ei transire ad sacros ordines in seculo. In nullo doctore hoc inueni, & credo, quòd dicit verum, quia tunc nullum est impedimentum. Vnde si vxor commisit adulterium, maritus potest promoueri ad sacros ordines, etiam si non intret in religionem. Et idem dicendum est si vxor sit extra periculum incontinentiæ, & dederit viro licentiam.

QVAERITVR, vtrùm post matrimoniũ ratũ non cõsummatũ liceat intrare religionem? Respond. ex sentẽtia omniũ, & ex consuetudine & determinatione ecclesiæ, ꝙ sic: etiam altero cõ 254 Post matrimoniũ ratum & non consummatum alte

ro religionē ꝓfitente alterpoteſt trāſirecad ſecundas nuptias.

iuge reclamante. Hoc habetur in ca. verū. & in cap. ex publicò. de conuerſione coniugatorū: Et facta profeſsione alter coniux qui remanet in ſeculo, poteſt tranſire ad ſecundas nuptias Hierony. dicit (& habetur in cap. ſcribi. 37. q̄ō. 2. de Macario, ꝙ poſt apparatum nuptiarum tranſijt ad eremum. Et in prologo euāgelij Ioānis, dicit ꝙ Chriſtus aſſumpſit Ioannem à nuptijs. Idem dicitur de beato Alexio filio Euphemiani.

255 Spōſo vi matrimonium cōſummante, an ſpōſa poſsit ingredi. religionem.

QVAERITVR, ſi ſponſus vi conſummauit m̄rimoniū, an poſsit illa tranſire ad religionē eo inuito? Videtur, ꝙ non quia ia m̄rimoniū eſt cōſummatū. In contrariū eſt quia ille fecit iniuriam, ergo videtur, ꝙ talis iniuria debet reparari: & cùm ipſa ante iniuriam poſsit ingredi, poterit etiā poſt acceptam contumeliam. De hoc nihil vidi in iure determinatū: Ideò probabilis eſt vtraq; pars. Et ita putat Durā. licèt ei magis probabile videatur ꝙ non poteſt ingredi religionem,

gionem, quia iam eſt ibi vinculum carnale, & nõ tantum ſpirituale. Et licèt vir malè fecerit, non tamen debet hac pœna puniri. Caueret ipſa ſibi, vel intraret anteà religionem. Palude reputat magis probabile, quòd poſsit traſire. Vtraque opinio videtur mihi probabilis. Tamen hoc eſt vnum certum, quòd licet illa intret religionem, matrimonium non dirimetur, nec ille poterit tranſire ad ſecundas nuptias ipſa viuente; quicquid dicat Durandus.

QVOD diximus ſuprà, ſcilicet, ꝙ ante conſummationem matrimonij licet ingredi religionem, intelligendum eſt de religione in qua ſit votum ſolenne. Vnde a las beatas, quæ vocantur terceras, quas puto ſolũ facere votum ſimplex: non poterit tranſire. Quia ob tale votum nõ poſſet dirimi matrimonium ac proinde, ni caſarſe el q̃ quedaua en el ſiglo. Imò ſi illæ beatæ nuberent, licèt peccarent, teneret matrimonium. 259 Ante cõſũmationem matrimonij licet intrare religionẽ in qua ſit votum ſolẽne.

De Sponſalibus.

257 Spóſalia quæ dicãtur. SPONSALIA ſunt promiſſio futurarũ nuptiarũ quæ iam in Hiſpania ferè nõ fiunt, ſino deſpoſorios de præſenti. Sũt igitur ſpõſalia, mutua promiſsio futurarum nuptiarum. Nec ſufficeret dicere, ego propono te habere in vxorem, nolo tamen me obligare. Talia non ſunt ſponſalia: vt malè putat Palude. 4. diſtinct. 27. ſed requiritur ſtipulatio, & obligatio. Fiũt autem dupliciter, vt ait Sanct. Thomas 4. diſtinct. 27. quæſtio. 2. articul. 1. Vno modo ſine conditione, quacunque, & talia ſtatim ſunt ſponſalia. Alio modo fiunt cum conditione, vt ſi dicam, ducam te ſi dederis mihi mille aureos, vel ſi pater tuus conſenſerit. Nos ſimul tractabimus de conditionibus appoſitis ſponſalibus, & de appoſitis matrimonio.

258 QVAERITVR, vtrũ ſi ſponſalia con-

cõtrahantur inter perſonas illegitimas, animo contrahendi ſub hac cõditione, ſi Papa diſpenſauerit; an aduenićte con ditione ſint vera ſponſalia? & ſi fuerunt verba de præſenti, an ſit matrimonium conditione aduenienre? Et augeatur du biũ, ponamus ꝙ iſti poſtq̃ venit diſpen ſatio habeant eam ratã. In Flandria fuit mihi magna controuerſia cũ aliquibus iuriſtis ſuper iſto caſu. Sed reſpondeo, ꝙ non eſt matrimoniũ, & oppoſitũ eſt error intolerabilis. Ratio eſt, quia ante diſpenſationé hæc non erat vxor iſtius, igitur nec poſt. Quia papa non poteſt dare vxorem, ſed ſolũ dat facultaté ducendi illam. Et ſi talis tranſiret ad ſecundas nuptias, non compelleretur ſumere primam conſanguineam. Allegabãt mihi multa capita iuris, ſed nihil omnino faciebant. Secundò dico, quòd talis contractus non ſolùm non eſt matrimonium, ſed nec eſt ſponſalia vllo modo etiam adueniente diſpenſatione:

Spõſalia & mr̃imoniũ cum cõditiõe aduenićte conditiõe non fiunt, per hoc ſponſalia, aut matrimonium.

ne ſed quicquid factum eſt totum eſt irritum, & contractus eſt nullus. Eſt lex inter ſtipulantem. ff. de verb. obli. parrapho. ſacram rē. vbi eſt caſus, quòd ſi fiat ſtipulatio de ſacra re, vel de re de qua non commercium, de qua non poterat fieri ſine conſenſu principis, ſtipulatio eſt nulla, & non redit obligatio adueniente conſenſu principis. Adeò eſt reprobatus ille contractus, vt ſit ſuper eo excommunicatio. Sic igitur dico in propoſito, quód prædictus contractus eſt nullus, etiam ſi iurarem: & peccarem iurādo, quia eſt contra bonos mores. Sed quid ſi perſonæ legitimæ contrahant ſub conditione honeſta, vt ſi pater tuus cōſenſerit, vtrum adueniente cōditione ſit matrimonium? Panormita. & Canoniſtæ dicunt q̃ ſic, & Palud. videtur eos ſequi. Sed Adrianus, & communis ſententia doctorum dicunt q̃ non, ſed ſolum ſunt ſponſalia. S. Tho. 4. diſtin. 27. dicit q̃ ſi conditio ſit

ſit de futuro, etiam ſi verba ſint de præſenti, idem eſt iudicium ſicut de cóſenſu de futuro, qui exprimitur per verba de futuro, ac proinde aduenicnte conditione manét ſponſalia. Et dato quòd errore putans talem contractum eſſe matrimonium, conſummet illud, non eſt adhuc matrimonium, quia ex errore proceſsit. Itaq; regula generalis eſt, ſi in iſto inſtanti nõ eſt matrimonium, quicquid poſteà ſuperueniat, non erit matrimonium: niſi de nouo & de præſenti iterum fiat.

QVAERITVR, an ſiquis apponat cõditionẽ impoſsibilem, ſcilicet cõ traho tecũ ſi digito tetigeris cœlum, aut ſi dederis mihi regnum, an ſit matrimonium? Reſpondeo, quòd eſt determinatio in capit. finali. de conditionibus appoſitis. vbi papa in fauorem matrimonij dicit, quòd ſi apponatur in eo conditio turpis vel impoſsibilis, habeatur pro non adiecta. Et ſi abſque illa con- 259 Cõditio impoſsibilis vel turpis in matrimonio habetur p non adiecta.

ditione

ditione erat matrimoniũ, etiam erit matrimonium ea appoſita. Adrianus dicit, ꝙ vel illa conditio apponitur feriò vel ioco. Si primum, dicit ꝙ ibi eſt verus conſenſus, ac proinde matrimoniũ. Si ſecundum, dicit ꝙ non eſt matrimonium quia non habuit conſenſum. Si denique non habuit cõſenſum interiorem, quicquid apponatur non erit matrimonium. Si verò habuit conſenſum, erit matrimonium, eſtò apponat conditionem impoſsibilẽ. De hac cõditone impoſsibili S. Thom. nihil dicit.

260 Cõditiones ĩ matrimonio appoſitæ variæ.

De alijs conditionibus dicit S. Tho. ꝙ vel conditio eſt de præſenti, vel de futuro. Si primum, vel eſt contraria bonis matrimonij, vt contraho tecum ſi fueris ſterilis, & tunc non tenet matrimoniũ, ſiue ſit turpis conditio, ſiue nõ: Vel non eſt contraria bonis matrimonij, & ſic ſiue ſit honeſta, ſiue non, tenet matrimonium ſtãte cõditione. Videtur loqui S. Tho. contra illud capitu.

ſed

ſed loquimur in foro conſcientiæ. Vel conditio eſt de futuro, & tunc ſi ſit neceſſaria, vt contraho tecum ſi ſol oriatur cras, eſt matrimonium. Quia iam habetur talis conditio pro appoſita ſaltem infuit cauſis, & ſic præſumitur de præſenti. Sed hoc non obſtante, ſi intẽtio contrahendi eſt pro craſtina die, ſolùm ſunt ſponſalia de futuro. In foro tamen contentioſo præſumitur de præſenti. Si autem ſit conditio contingens, ſecundùm S. Thomam poſita conditione eſt matrimonium, & non appoſita non erit matrimonium: & hoc ſiue conditio ſit honeſta ſiue non. At ſecundùm iura, ſi ſit conditio turpis, habetur pro non adiecta: vt ſi dicat, contraho tecum ſi occideris inimicum meum, & eſt matrimonium verum. Et hæc de his.

De Bi-

De Bigamis.

261 BIGAMVS dicitur q bis duxit vxorẽ, de quo quæritur an sit irregularis ad sacros ordines suscipiẽdos? Respõ. q duplex est bigamia. Quædã propriè dicta, de eo qui bis duxit vxorẽ, & de hac loquitur Paulus, Titũ. 1. Oportet episcopum sine crimine esse, vnius vxoris virũ. Alia est bigamia interpretatiua & impropria, quę habet idẽ impedimentũ ac prima: vt si quis duxit viduã. Nam vna ratio quare bigamus expellitr ab ordinibus, est propter significationẽ, quia tale matrimoniũ non significat cõiunctionẽ Christi & ecclesiæ. Quia Christus non habuit nisi vnicã vxorem, vnicã ecclesiã, eamque virginẽ & incontaminatã.. Alia est etiam bigamia similitudinaria, quando quis habens vnã vxorẽ viuam cõtrahit cũ alia. Itẽ est bigamus qui post votum simplex castitatis, duxit vxorem. Et qui post

Bigamus quis dicatur, & omnis bigam⁹ est irregularis.

post susceptos ordines contraxit. Oēs isti sunt irregulares, & repelluntur ab ordinibus suscipiendis. Omnes tñ istæ irregularitates sunt de iure positiuo.

QVAERITVR, vtrum irregularitas bigamiæ tollatur per baptismum? Fuit quæstio inter Hieronymū & Augustinum, Hieronymo dicente ꝙ tollebatur, quia manet noua creatura. Augustino verò dicente ꝙ non, quia baptismus solùm tollit peccata, non alia vincula: sicut nec tollit matrimonium Hæc autem opinio Augustini allegatur à Gratiano. capi. acutius. 26. dist. & omnes canonistæ tenent cum eo, & S. Tho. Maio. verò tenet cum Hierony. Sed tenēdum est cum Augustino. Quia signum est ꝙ postquam quis bis cōtraxit, quòd continebit. Et etiam quia esset in illo matrimonio imperfecta significatio coniunctionis Christi & ecclesię. At vtrum posit ecclesia dispēsare cū bigamo? Dico ꝙ sic, sed non sine magna 262

Irregularitas bigamiæ nō tollit p baptismum.

gna

gna causa propter verba apostoli.

263 Copula carnalis superueniés spó salib⁹ an efficiat matrimonium.

QVAERITVR, vtrū copula carnalis superueniens sponsalibus de futuro efficiat matrimoniū S. Tho. distinguit in foro conscientiæ si non est consensus, non est matrimoniū. In foro autem contentioso, quia non est aliquod signum quod magis exprimat consensum quàm copula, iudicabitur matrimoniū: vt habetur in capit. is qui. Et in cap. vlti. de sponsalibus. Sed quid si per ignorantiam credebat ꝙ per sponsalia, erat iam vxor sua, & isto animo accessit ad illam & consummauit matrimoniū, aliàs non consummaturus, an sit matrimonium? Dico ꝙ non. Et est expressa sententia S. Tho. nihil enim consensui tam cōtrarium ac error. Item ante hoc non erat matrimonium, & non sunt apposita requisita ad matrimonium, ergo.

QVAERITVR, si iste talis acces-

264 Postac-

serit ad sponsam post sponsalia de futuro,

ro, non cõsummādi matrimonij gratia, sed animo libidinoso; si posteà contrahat cum alia, an hoc secundũ sit verum matrimonium? Respõdeo, ꝙ sic. Quia primum non fuit matrimonium, quanuis papa illegitimauerit secũdum in ca. is qui. de sponsa. sed hoc fecit papa quia præsumpsit quòd primum fuit verum matrimonium. Sed quid ille faciet, quia compelletur ab ecclesia manere cum prima? Et generaliter dubitatur quid faciet ille qui contraxit primò cum aliqua secrete, & consummauit matrimonium nemine sciente, & posteà secundò contrahit cum alia publicè, si compellatur ab ecclesia excommunicationibus ad manendum cum secũda, quid faciet: cùm illa non sit verè vxor? Respond. quòd si ille potest contrahere matrimonium cum illa cum qua cogitur manere, debet contrahere. Si verò non potest, vt in casu præsenti, malum remedium habet. Non enim ha-

cessum libidinosũ ad spõsã de futuro, cũ alia cõtrahẽs de præsenti vere contrahitur.

bet aliud remedium nisi quòd ferat patienter, nec apud Deum erit excommunicatus. Debet tamen vitare scandalũ & abire in aliam regionem, vbi poterit audire missam, & communicare manendo cum prima vxore.

265 SED mouet S. Thom. dubium in.4. dist. 28. articu. 2. 4. de eo qui post sponsalia de futuro accessit ad virginem animo libidinoso, an talis teneatur eam ducere quia stuprauit virginem? Et doctor sanctus concedit, ꝙ tenetur eam ducere postquàm promisit, & si non potèst eam ducere, debet eam dotare. Et addit, quòd hoc est verum quando decipit eam, quod quidem est maximè notandum. Nam qui vltroneam virginem corrumpit, non tenetur eam dotare: quanuis enim promiserit ei se ducturum eam in vxorem aliquando, ipsa tamen bene intellexit, quòd non debebat facere, quia erat magna inæqualitas inter eos. &c.

Post spósalia d̃ futuro libidinose corrumpens spósam tenetur eã ducere.

Virginẽ vltroneã corrumpens non tenet eã dotare.

Sequi-

Sequitur de Matrimonio clandestino.

QVAERITVR, an matrimonium clandestinum sit verum matrimonium. Respondetur, quod talia matrimonia rata erant & vera quandiu ecclesia ea irrita non fecerat. Verùm cùm sancta Synodus Tridentina animaduerterit prohibitiões de non sic contrahendo (propter omnium inobedientiam) iam non prodesse, & grauia peccata perpenderet quæ ex eisdem clandestinis coniugijs ortum habebant, præsertim verò eorũ qui in statu damnationis permanerent, dum priore vxore cũ qua clã contraxerant, relicta, cum alia palam cõtrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cũ ab ecclesia (quæ de occultis non iudicat) sucurri non posit, nisi efficacius aliud remediũ adhibeatur. Idcirco sacri Lateranensis concilij sub Innocentio. 3. celebrati ve- 266

ſtigijs inhærendo præcipit vt in poſterum antequã matrimõium contrahatur, ter à proprio cõtrahentium parocho, tribus continuis diebus feſtiuis in eccleſia, inter miſſarũ ſolennia publicè denuntietur inter quos matrimonium ſit contrahendũ. Qibus denuntiatiõibus factis, ſi nullum legitimũ oppõatur impedimentũ, ad celebrationẽ matrimonij in facie eccleſiæ procedatur, vbi parochus viro & muliere interrogatis, & eorũ mutuo conſenſu intellecto, vel dicat. Ego vos in mrĩmonio coniungo in noĩe patris & filij & ſpiritus ſancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuſcuiuſque prouinciæ ritum. Quòd ſi aliqñ probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malicioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel vna tm̃ denuntiatio fiat, vel ſaltem parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus, mrĩmonium celebreť. Deinde añ illius cõſummationẽ denũtiatiões in eccleſia fiãt, vt ſi aliqua ſub

ſunt

ſunt impedimēta, facilius detegant, niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur. Quod illius prudētiæ & iudicio, ſctā Synodus relinquit. Qui aliter q̃ præſente parocho vel alio ſacerdote de ipſius parochi ſeu ordinarij licētia & duobus vel tribus teſtibus matrimoniū contrahere attētabūt, eos ſctā Synodus ad ſic cōtrahēdum inhabile reddit. Et huiuſmodi cōtractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat. Inſuper parochū vel aliū ſacerdotē q cum minori teſtium numero, & teſtesq́ ſine parocho vel ſacerdote huiuſmodi cōtractui interfuerint: nec non ipſos cōtrahentes, grauiter arbitrio ordinarij puniri ꝑcipit. &c. Hæc omnia ferè ad verbum ſumpſimus ex prædicto concil. Triden. ſeſsi. 24. in decreto de reformatiōe matrimonij. capi. 1. Vbi circa finem ordinat, vt parochus habeat librū, ĩ quo cōiugū & teſtiū noīa, dieq́; & locū

contracti matrimonij describat, quem diligenter apud se custodiat.

297 QVAERITVR, an sit peccatum mortale post matrimonium publicũ de præsenti accedere ad spõsam ante solennitatẽ nuptiarum, quod etiã vocatur matrimonium. Videtur ꝙ sic, quia in. c. nostrates. 30. qõ. 5. est prohibitum. Et etiã quia videtur ꝙ sit quidam contemptus ecclesiæ. In contrarium est, quia talis vtitur re sua. Caietan. facit de hoc quæstionem, & dicit quòd non est peccatum. Patet, quia in lege naturæ non erat peccatum, & in iure non est prohibitum tanquam mortale. Nam illo capitu. nostrates. dicitur, quòd non seruare illas conditiones non esset mortale: & est iam vsus in multis partibus: ergo non est peccatum. Idem tenet Syluester verbo debitum coniugale. parrapho. 9. & allegat Innocen. Antonium, & Hostiens. in capit. 1. de sponsalibus. Imò addit ꝙ si timetur aliquod periculum, vel si differun-

Accedẽs ad sponsam ante bñdictionẽ ecclesiæ non peccat mortaliter.

ferūtur velationes, consulendum esset eis consummare matrimoniū. Et quod hoc sit etiā demēte sancti Tho. patet, qa 4. d. 28. ar. 23. dicit quod si sponsus per verba de futuro petat debitū à spōsa, si illa credit, quod ipse accedat cū affectu maritali, non peccat reddens debitū: ergo multo minus si sponsus per verba de præsenti petat. Sic igitur dicēdū est quod nō est peccatū mortale: imò aliquādo nō erit nec veniale. Notanda sunt tñ verba concilij Tridenti. sessio. 24. de reformatione matrimonij. ca. 1. vbi sic dicitur. Præter ea eadē sancta Synodus hortatur, vt cōiuges ante benedictionē sacerdotalem in tēplo suscipiendā, in eadem domo non cohabitent, statuitq; benedictionē à proprio parocho fieri: neq; à quo quā nisi ab ipso parocho vel ab ordinario licentiā ad prædictā benedictionem faciēdā alij sacerdoti cōcedi posse, &c.

QVAERITVR, vtrū consensus coactus sufficiat, ad matrimoniū? V. g. 268

Consensus coa-

ctus an sufficiat ad matrimoniũ.

deprehẽsus est iuuenis cum puella, & cogitur à parẽtibus puellæ cõtrahere cum ea, vel mortẽ subire, & ille ex metu consentit interiùs (nã si non cõsentiret interiùs, nõ est dubium quin nõ sit matrimonium, etiã si sine metu proferat verba) an sit matrimonium? S. Tho. 4. d. 29. art. 2. & omnes doct. ponunt distin. de duplici metu. Quidam est metus cadens in virum constãte, alius cadens in inconstantem. Constans autem vir ab inconstanti hoc distat, quòd constans nunquam inducitur aliquo timore ad perdendum famam vt saluet omnes res suas, quia plus valet fama quàm res. At inconstans potiùs vult perdere famam quàm diuitias, & vult incurrere maius malum vt euitet minus malum. Item vir constans non mouetur à paruo timore, sed à magno: vt à timore mortis, captiuitatis, seruitutis, & non à timore perdendi centum aureos. Inconstans verò vir opposito modo mouetur à par-

uo timore. Hoc supposito, est conclusio. Consensus coactus timore cadente in virum constantem, impedit matrimonium: consensus verò coactus ex timore non cadente in virum constantem, non impedit matrimonium. Patet capi. cùm locum. Et cap. veniens. Et cap. consultationi. de sponsali. Et expressè in lege metu. ff. qui metus causa. Et capitu. significauit. de eo qui duxit in matrimonium qua polluerat p adulterium. Scot. & etiam S. Tho. videtur dicere, ꝙ hoc est de iure naturali & diuino. Quia in hoc sacramento requiritur maxima libertas, & metus in emptione & venditione & alijs contractibus impedit contractus, ergo & etiam hunc. Et Genesis. 2. propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: ipse adhærebit sua voluntate motus, & non ab alio. Idem tenet Gabriel. Palude dicit, quòd hoc est ex institutione ecclesiæ solùm, quæ potest dirimere

matrimonia inquantum sunt contractus quidã, quæ tñ seclusa institutione ecclesiæ essent vera matrimonia. Hoc dicit. 4. d. 28. q. 1. art. 3. Idẽ tenet Maioris. 4. d. 29. q. 2. Vtrunq; est probabile. Vocatur autẽ metus cadẽs in virũ constantẽ, metus mortis, cruciatus: vt dicitur in ca. cũ dilectus. de his quæ vi metus ve causa fiunt. Metus stupri in muliere: siquis vellet eã opprimere vt contraheret, & ipsa hoc timens contrahit, nullũ est matrimonium. Metus vinculorum, & seruitutis. De seruitute habetur in lege. isti quidẽ. ff. qui metus causa. Et instit. titu. eod. parrapho. 1. 2. & 3. De vinculis habetur in. l. nec timorem. ff. eodẽ titu. Et etiã metus eorum malorũ quæ istis ęquiparantur. Sed quæritur, siquis contraxit metu cadẽte in virũ cõstantem, & posteà consummauit copulam, an sit matrimonium? Dico quòd si consentit voluntariè est matrimonium. Si verò non consentit, non est

ma-

matrimonium.

QVAERITVR, an parentes possint cogere filios suos ad matrimonium non expectato eorum consensu? Resp. ꝙ non. Quia matrimonium est actio personalis, & requirit proprium consensum. Possunt tamen parentes ante legitimam ætatem filiorum pacisci pro eis: & si illi quando venerunt ad legitimam ætatem non contradixerint, sponsalia reputantur: quia patres sunt procuratores eorum. Sed vtrùm filij teneantur obedire parentibus in matrimonio, accipiendo quas parentes mandauit, vel an peccent mortaliter contrahentes sine consensu parentum? Respon. quòd liberi contrahentes sine consensu parentum (imò etiam ipsis inuitis) non peccant mortaliter secluso scandalo. Quia licet teneantur eis obedire, non tamen in matrimonio, in quo vno sunt domini sui. Et si aliquæ leges dicant cõtrariũ, como la ley de Toro q̃ manda, ꝙ ta 269

Parentes non possunt cogere filios ad matrimoniũ.

les

les exhæredentur. Dico, ꝙ leges ciuiles non habent vim circa matrimonia nisi sint acceptatæ in iure canonico, hæc autem non est acceptata; imò nec in foro contentioso iudicatur secundum eam, non est dubium. Vide de hoc Couarruuias. 2. parte de sponsalibus. capi. 3. §. 8.

254 Error ꝑsonę quando impediat matrimonium.

QVAERITVR, vtrùm error personæ impediat matrimonium? Respon. Magist. 4. distin. 30. & omnes dicunt ꝙ sic. Error personæ vt in Iacob. Error conditionis personæ; vt si puto me contrahere cum libera, & contraho cum ancilla, non tenet matrimonium. Error personæ impedit de iure naturali, quia tollit consensum. Iacob enim non consenserat in Liam. Error conditionis impedit iure positiuo, vt patet in. c. proposuit. de coniugio seruorũ. Factum est autem hoc ab ecclesia rationabiliter. Quia contrahens cum serua, manet quodammodo seruus, & filij manent serui: non est autem æquum, ꝙ quispiã sine culpa

sua

ſua puniatur tam graui pœna. Alij errores qualitatis, & fortunæ, non impediunt matrimonium: vt ſi putem eam pulchram & eſt deformis, diuitem & eſt pauper, ſanam & eſt ægra, bonam & eſt mala. &c. Si verò ſeruus putet ſe contrahere cum libera, etſi illa ſit ancilla, tenet matrimonium: vt dicit Sanct. Thomas in additionibus quæſtio. 52. arti. 1. ad primum.

QVAERITVR, an vſus matrimonij propter ſolam delectationem ſit peccatũ? Reſpondeo ſecundùm omnes, quod ſic. Quia omnis actus qui non habet bonum obiectum eſt malus, ſed talis actus non habet bonum obiectum (nam delectatio cùm ſit quoddam naturale, nullum obiectum bonum dicit) ergo ille actus non eſt bonus: & ſic ſaltem erit otioſus, & per conſequens veniale: cùm ſecundum. S. Thom. non detur actus indifferens in indiuiduo. Item talis actus eſt abuſus matrimonij, ergo eſt 257

Matrimonij vſus pter delectationẽ eſt peccatum veniale.

eſt peccatum. Antecedens patet, quia matrimonium non fuit inſtitutum ad illud, ſed ad generandam prolem. Idem eſt de eo qui comedit propter ſolam delectationem: quia comeſtionis finis nõ eſt ille, ſed ſuſtentatio.

271 QVAERITVR, vtrùm vſus matrimonij propter vitandã tentationẽ carnis in ſe ipſo, ſit peccatum? S. Tho. 4. d. 31. qõ. 2. arti. 2. dicit ꝙ eſt veniale. Quia non fuit ad hoc inſtitutum, ſed ad bonum fidei, putà ad reddendum debitum vel ob prolem generandam. Et hæc eſt opinio ferè omnium ſanctorum ſuper illud. 1. Corinthio. 7. Hoc autem ſecundùm indulgentiam dico: quia indulgentia eſt de peccato veniali. Sed fortè intelligendus eſt S. Thom. vt ait Palude, quando habet alia remedia ad ſedandam paſſionem: putà orationem, vel ieiunium, &c. Si verò non ſit aliud remedium, licitum erit accedere propter illum finem. Idem dicendum eſt de illo

Vſus matrimonij ad vitandam tentatioem, an ſit peccatum.

lo qui accedit propter abundantiam ſeminis quæ impedit ſanitatem, de quo S. Tho. vbi ſuprà ad vltimum, dicit quòd eſt veniale. Albertus autem dicit, quòd eſt licitum ſic acceddere.

QVAERITVR, an abuſus vxoris ſit peccatum mortale? Reſpondet S. Thom. quòd ſi ſit extra vas fœmineum, eſt mortale: & non eſt dubium de hoc. Si autem ſit intra vas, dubitant doctores an ſi fœmina ſupergrediatꝛ viro ſit mortale? Caietanus ait quòd ſi ex hoc impeditur generatio, eſt mortale. Et ita dicũt omnes doctores. Albertus magnus dicit quòd poteſt iſto modo ſequi generatio. Quia matrix non ſolùm eſt receptiua, ſed & attractiua: ideò credo, quòd non eſt mortale. Et idem putat Sylueſter verbo, debitum coniugale. parrapho. 4. Dicit tamen, quòd tales ſunt grauiter reprehendendi. 273 Abuſus vxoris peccatũ eſt.

QVAERITVR, an oſcula, amplexus & tactus inter virum & vxorem 274 Oſcula

ſint

& tactus coniugatorũ non sunt peccata mortalia.

sint peccatũ? Respõd. secundum Caieta. & Syluestrum, & omnes alios bene sentientes, ꝙ omnes prædicti actus quantuncũq; videantur impudici, si vltimatè ordinantur ad copulam, non sunt peccata. Et etiam si non ordinentur ad congressum ipsum, non erunt mortale, dummodò fiant sine periculo pollutionis extra vas. Si enim sunt cum tali periculo, erunt mortale. Sine illo autem vel erunt veniale, vel nullum peccatum. Aduertant in hoc confessores ne sint nimis soliciti in interrogatione horum quæ inter coniuges fiunt. Nec curent quòd confiteantur de his venialibus: melius est enim quòd ea sileant. Et admonendi sunt coniuges ꝙ non tenentur illa confiteri: nisi quando sunt mortalia. Et instruantur quando committunt mortale, & quando non.

275 Cõiuges tenentur

QVAERITVR, vtrùm coniuges teneantur reddere debitum sub pœna peccati mortalis? Respondeo, secun-

ſecundùm omnes quòd ſic. Quia corpus vxoris eſt viri,& econtrà,& ob id iniuriam facit qui negat alteri quod ſuum eſt. Et ſi quidem vir periclitetur de incontinentia, debet vxor reddere ſtatim debitum: quia eſſet periculum in mora. Si autē non ſit hoc periculum, non eſt mortale ſi per aliquod breue tempus differat. Neuter tamen coniugum tenetur reddere debitum cum detrimento ſalutis,vel propriæ perſonæ. Vnde ſi ſit maritus leproſus,ò con mal de bubas, ſi eſt periculum iudicio medicorum, non tenetur reddere. Quia licèt cap. 2. de coniugio leproſo,dicatur, quòd non poteſt mulier ſana relinquere maritum leproſum,& quòd tenetur reddere debitum, tamen intelligendum eſt quando hoc poteſt fieri ſine infectione ipſius vxoris.

QVAERITVR, vtrùm quando mulier patitur menſtruum, & ſanguinis fluxum, poſsit vir petere debitum, & illa teneatur reddere? Videtur, quòd 276 Vir accedens ad vxorem méſtruã

tā an pec cet mortaliter.

non. Quia in lege veteri erat prohibitum, & Hieronymus dicit ſuper Iſaiam 44. quòd ſi cōceptio fiat tempore menſtrui, proles naſcitur leproſa, maculoſa, & debilis, quòd & approbant naturales. ergo S. Tho. 4. diſtinct. 32. quæſt. 2. articul. 2 dicit duo. Primò quòd in lege veteri erat mortale: nam erat præceptum in contrarium, Leuitici. 18. Secūdo dicit, quod præceptum illud partim erat cæremoniale, & partim morale: & ideò etiā nunc obligat ex ea parte qua eſt mortale, & ex damno quod ſequitur in prole. Pro huius igitur declaratione ponit Sanct. Tho. diſtinctionem, Duplex eſt ſanguinis fluxus in mulieribus. Quidam innaturalis & perpetuus. ſicut erat ille quem patiebatur mulier quæ tetigit fimbriā Chriſti. Et ſi vxor talem fluxum patiatur, licitum eſt quòd reddat & petat debitum. Quia melius eſt quòd ſequatur fœtus defectuoſus, q̃ ꝙ nullus ſequatur. Alius eſt flu

fluxus naturalis, qui prouenit in quolibet mense. Et tunc non debet exigere, quia postea manet tempus. Si autem vir nesciens illud, petat debitum, respondeat ipsa ꝙ non bene habet. Non tamen debet dicere se menstruatam esse (vt ait Sãct. Thom.) quia viri faciliter ægrè ferunt illud, & concipiunt horrorem de mulieribus, & ne hoc sequatur, debent potiùs hoc tacere mulieres, vel alia via se excusare: quia debet dari opera vt inter eos amor crescat. Tamen si maritus instet, illa non multùm repugnet, sed reddat debitum propter periculum corruptionis in viro. Et quoniam non est certum quòd ex tali concubitu sequatur proles infecta, vel si sequatur hoc erit raro: ideò maritus accedens ad vxorem menstruatam, vel illa petens ab eo debitum, non peccant mortaliter. quicquid dicat Syluest. sed erit peccatũ veniale, vt dicit Caietanus in summa, & Palude. Et ita tenendum est.

277 QVAERITVR, an spōsa ante benedictionem ecclesiæ teneatur reddere debitū marito petenti? Respōd. ꝙ infra duos menses ante benedictionem ecclesiæ post matrimoniū de præsenti non tenetur reddere debitū. Quia datur illi ad hoc ꝙ si voluerit religionem ingredi, intret. Nec etiā post illos duos menses tenetur reddere ante benedictionem ecclesiæ: sicut nec tenetur marito petenti in ecclesia, quia vtrunq; est prohibitū.

Sponsa añ ecclesiæ bñdictiones non tenetur reddere debitū spōso petēti.

278 In magnis festiuitatibus dicunt sancti, ꝙ non debent conuenire inuicem: quia oportet vacare diuinis. Si tamen de facto conueniant, licet sit aliqua irreuerentia, non tamen est mortale, & sancti consulunt, quod melius est. Vir autem qui habuit rem cum propria vxore nocte præcedente communionem, meliùs faciet non communicando illo die: sed differat in alium diem, & idem de vxore. Si autem communicent, non erit mortale, sed veniale propter irreue-

Accedere ad vxorem in festo an liceat.

ue-

uerentiam.

In loco autem ſacro non licet accede 279
re ad propriã, quia pollueretur eccleſia. Accede-
Tempore tamen belli quando morãtur re ad ſuã
in eccleſia per multum tempus dicit Ca vxorẽ in
ieta. opuſcu. 16. quæſtionũ. q. 14. dubio. eccleſia
4. & Palud. 4. d. 32. ꝙ non licèt vllo mo- tempore
do accedere ad ſuam etiã vxorem. Ma- belli, an
ior ait ꝙ illo tunc licet. Et Syluester di- liceat.
cit ꝙ ſi timeatur corruptela in viro, lice
ret vxori reddere ei debitum. Hoc eſt probabile & fortè verũ. Sed opinio Caietani eſt ſecurior,

QVAERITVR, vtrùm coniuges 280
poſsint vouere cõtinentiã. Resp. Primò Cõiuges
ꝙ hoc non expedit ſi ſint in iuuentute an poſ-
ꝓpter periculum, Secundò dico, ꝙ ſi ex ſint con-
mutuo conſenſu hoc fecerint, licitum tinẽtiam
eſt, & votum tenet. Sed vtrum alter ſolus vouere.
poſsit vouere? Dico quòd male faciet, quia eſt in iniuriam alterius. Sed quæritur, an ſi fecerit votum vir, poſsit nihilo minùs reddere debitum San. Thom. in

additionibus ad tertiam partem. qõ. 53. ar. 1.ad.4.dicit q tunc tenetur reddere, & licitũ est ei exigere : cũ Paulus dicat: nolite fraudare inuicem. Et non debet vir ponere se in tali statu, quòd non sit potens releuare vxorem ab onere petendi debitum. Caieta.lib. 16. quæstionum. q. 16. dicit q tale votũ tenet. Et vir non põt petere, licet tñ & tenetur reddere. Idẽ dicit Paluda. Sed mihi magis placet opinio S. Thom. Et ita tenendum est.

281 QVAERITVR, vtrùm papa possit dispensare in matrimonio rato non consummato? Communis opinio canonistarum est, q potest, & q sic dispensati possunt transire ad secundas nuptias ex iusta & rationabili causa ad petitionem amborum coniugum. Hoc Ioannes Andreas super capit. ex publico. in suis nouellis. Et Archidiaco. in capitul. qua propter. 27. qõ. 2. Et Benedictus in capit. ex publico. Syluester allegat pro hac opinione summam Angelicam. S. Antoninus

In matrimonio rato nõ cõsummato an possit Papa dispensare?

nus. 3. p. titul, 1. ca. 22. videtur esse cum canonistis, & dicit se legisse bullas Martini quinti, & Eugenij. 4. in quibus dispensatum est circa hoc. Et Caiet. quod liber. 3. quæst. 13. tenet quòd Papa potest dispensare. Hæc opinio videtur probabilis, sed malo tenere cum opinione communi, quòd Papa nõ potest dispensare. Nam Paulus dicit. 1. Corinthio. 7. His autem qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, vxorem à viro non recedere. Et Matthæi. 19. Quos Deus coniunxit homo nõ separet. Et cùm Christus dixerit ibidem ꝙ non licet vxorem dimittere, nisi propter fornicationem, iam inuenietur alia exceptio, scilicet dispensatio papæ. Teneamus igitur cum tota caterua theologorum ꝙ papa non potest dispensare in matrimonio rato. Vide Syluestrum. verb. Diuortium. §. 1. &. 4.

QVAERITVR, de impedimentis matrimonij. Sunt quidē aliqua quę 282 Impedimenta

matrimonij duplicia quædam dirimentia alia impedimentia. impediunt matrimonium, tñ si fiat, factum tenet vt est tempus in quo matrimonium fieri prohibetur, & tamen si fiat in diebus prohibitis, factum tenet. Alia sunt impedimenta quæ impediunt matrimonium faciendum & dirimunt factum: & hæc sunt sexdecim in his versibus contenta. Error, conditio, votum, cognatio, crimen. Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas. Si sis affinis, si forte coire nequibis. Hæc facienda vetant cõnubia, facta retractant. Agamus igitur de his omnibus.

233 Impotentia perpetua dirimit matrimonium. QVAERITVR, an si fuerit aliquis impotens ad cõcubitum, teneat matrimonium cum illo? Respon. ꝙ duplex est impotentia. Quædam perpetua, & hæc tã in viro quã in fœmina irritat matrimonium, vt si spado contrahat matrimonium nõ tenet, vt in ca. 1. de frigidis & maleficiatis. Si autem post matrimonium superueniat impedimẽtum, nõ irritat matrimoniũ. Nã qđ semel fuit matrimo-

trimonium, semper erit firmum. Et hoc impedimentum iure naturali irritat matrimonium: sicut iure naturali prohibētur duæ fœminæ contrahere inuicem. Sed quomodo cognoscetur, an talis impotentia sit perpetua? Respond. quòd debent esse per triennium iuncti, & dare operam rei vxoriæ: & si post triennium constet de impotentia alicuius, debent separari: Vt habetur in cap. laudabile. in illo titulo. Sed si statim posit agnosci, quòd sit impotētia perpetua, statim debent separari. Vide Syluestrum verb. matrimonium. 8. parrapho vltimo.

QVAERITVR, de pueris haben- 284
tibus quidem vsum rationis, an posint contrahere ante decimūquartū annum? Respō. ꝙ nō. Quia est determinatio ecclesiæ, quòd pueri ante decimūquartum annum, & puellę ante duodecimum nō posint contrahere: vt patet in ca. puberes. & ca. continebatur. de desponsa. impube. quod fuit determinatum propter

Pueri ante decimūquartum annum non possunt contrahere.

rationem Aristot. dicentis, ꝙ ante illam ætatẽ non sunt habiles ad generandum. Si tamen ante prædictam ætatem cõtrahant, quanuis non sit matrimoniũ, sunt spõsalia, ex iuris dispensatione, & tenentur posteà contrahere, vt patet in capit. vnico. de despõs. impube. libr. 6. Si autẽ parũ ante legitimã ætatẽ contrahant & cõsumment mrimonium, vt putà vir in anno. 13. & fœmina in. 11. erit verum matrimoniũ: vt habetur in. c. de illis. 2. de desponsatione impube. Et etiam citra iuris determinationem, patet ꝙ sit ibi verum matrimonium, quia illa erãt sponsalia, & copula superueniens facit matrimonium, ergo. Et si sint iam habiles ad generandum, etiam si non consummauerint, erit matrimonium, malitia ętatem supplente, vt etiam ait textus. Sponsalia verò ex iuris dispositione possunt celebrari in septẽnio, & etiã si sint prope septennium: ut tenet Sanct. Tho. 4. d. 27. & est communis opinio, licèt

cet Panormita. teneat contrarium.

Sequitur aliud impedimentum ſcilicet maleficium, quod aliquando arte dæmonis (de quo ait Iob quòd non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei) inuenitur inter cõiuges. Poteſt enim maritum reddere frigidum, & facere ne poſsit membrum arrigere, & impedire deciſionem ſeminis applicando actiua paſsiuis. Quãuis poſſet eſſe tãtus amor inter coniuges, quòd eorum calor præualeat & ſuper ea quæ dæmon apponit vt infrigidet. Vnde dicit Albertus Magnus, ꝙ iſta maleficia maximè contingunt circa ruſticos. 285

Maleficiũ & ligamẽ impedit matrimonium.

QVAERITVR ergo, an hoc ligamen impediat matrimoniũ? Reſp. ꝙ ſi hoc contingat poſt matrimonium factum non impedit. Si verò ante matrimonium, tunc ſi eſt perpetuum impedit, ſi autẽ ſit tẽporale non impedit, ſic habetur in capit. vltimo. de frigidis Cognoſcetur autem hoc maleficium ſi poſ 286

ſit cum aliena & non cum propria. Et debent ſimul habitare per trienium, & ſi non poſsint conuenire, tũc reputabitur maleficium perpetuum.

287 Amentia & furia an impediat matrimonium.

QVAERITVR, an amẽtia ſeu furor impediat mr̃imoniũ? Reſp. ꝙ amẽtes nõ poſſunt cõtrahere, & ſi cõtrahãt, mr̃imoniũ nõ tenet. Quia ad matrimoniũ requiritur conſenſus & vſus rationis, quo illi carent. Itẽ nemo ſe põt ad aliqd obligare niſi volũtariè & libere, iſti autem non habẽt libertatẽ arbitrij, ergo. Ad irritandũ verò mr̃imoniũ non ſufficit ꝙ amentia præceſſerit, vel ſequatur ipſum mr̃imoniũ: ſed requirit ꝙ ſit amẽs tempore quo contrahit. Si autem poſt matrimonium contractum vir inciderit in amentiam, non dirimitur matrimonium: & puto probabiliſsimum ꝙ tunc non teneatur vxor reddere debitum marito petenti, quia non libere petit niſi timeat corruptelas alias in viro, & ꝙ quærat alienas.

QVAE-

QVAERITVR, de impedimento criminis quod est incestus, an si quis cognouit aliquã, & postea contrahit cũ sorore eius, teneat matrimoniũ. Respõ. quòd crimẽ incestus dupliciter impedit matrimoniũ. Vno modo propter affinitatem, quia est affinis illius cum qua contrahit intra quartum gradum: & de hoc dicemus infrà. Alio modo habet impedire mřimoniũ, ex hoc ꝙ cognouit consanguineam eius cum qua cõtrahit, & de hoc querimus vtrum tale crimen incestus impediat matrimonium? Resp. S. Thom. in additio. q. 5. art. 4. ꝙ si quispiam cognouit cõsanguineam vxoris ante matrimonium contractum, & etia post sponsalia, debet matrimonium separari propter affinitatem quam cõtraxit cum sua sponsa cognoscendo cõsanguineã eius. At si talis incestus sequatur post matrimonium iam contractum & cõsummatũ, nõ dirimit illud: sed in pœnam peccati, non potest vir petere debitum 288

Crimẽ incest⁹ impedit matrimonium.

bitum

bitum à propria vxore,& ſi petat peccat mortaliter:nec vxor tenetur ei reddere debitum.Si tamen vxor petat, ille tenetur reddere:quia vxor non debet puniri pro peccato viri. Habentur de hoc plura capita, in titulo , Si quis cognouerit conſanguineam vxoris ſuæ. Et. 32. q.7. cap.ſi quis viduam.& ca. qui dormierit. & capi.concubuiſti. Verum eſt ꝙ ſiquis ignorans eſſe conſanguineā vxoris ſuæ, accederet ad eam, ꝙ poterit petere debitum ab vxore, quia illud non fuit peccatum inceſtus, ſed fornicationis. Hoc dicunt docto.& Palu.4.d.34.q. 2. arti.2. Idem etiam dicendum eſt ſi mulier cubuit cū conſanguineo mariti intra quartum gradum:eadem enim pœna punietur qua maritus, ſcilicet, ꝙ non poterit exigere, & tenebitur reddere debitum.

289 QVAERITVR, an cauſa fornicationis poſsit vir vxorē dimittere? Reſpon.ꝙ ſic. Eſt enim expreſſum in euangelio. Matth.19.& eſt ſecundū ius naturale,

Fornicātem vxorē poteſt di-

rale,quia opportet ꝙ maritus sit certus de prole sua,quod non potest certò sciri si sit adultera vxor. Item quia matrimonium est contractus,& dant sibi inuicem fidem coniuges,ergo altero frangente,alius remanebit liber. Excipiuntur aliqui casus ab hac regula. Primus si ambo commiserint adulterium, quia iam ibi est recompensatio. Iste casus & alij sequentes sunt expressi in iure. 32. quæst. 6. per totam. Secundus si maritus propriam vxorem prostituerit pro pecunia,vel alia re. Hic ponitur in capitu. discretioni. de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ. Addit Palude, ꝙ idem est iudicium, si ipse maritus viderit & non prohibuerit. Tertius vbi vxor putans se cum viro congredi, decepta est ignoranter,aut contraxit putans esse mortuum. Hoc habetur in capit. cum per bellicam. 34. quæst. 1. & 2. & ibidẽ ca. in lecto. Quartus si fuerit vi oppressa, vt habetur in capi. proposito. 32. q. 5.

mittere maritus nisi ĩ quibusque casibus.

Quin

Quintus si vir postquã recõciliatus est vxori cognouerit eam tunc non poterit eam relinquere, vt dicitur. 23. qõ.1. capi. 1. &. 2. & in. l. crimen. C. de adulterijs. Sextus si vxor infidelis ab eo repudiata contraxerit cum aliquo & posteà veniant ambo ad fidem, debent iterum conuenire, extrà de diuortijs. capi. gaudemus parrapho vltimo.

209 QVAERITVR, an vir teneatur dimittere vxorẽ adulterã? Resp. ꝙ non, sed potest cum ea manere: nisi vxor sit adeò incorrigibilis, ꝙ ratione scandali, ne maritus in peccatis eius videatur consentire: tunc enim tenetur ab ea separari. Hæc verò separatio ab vxore adultera, quo ad torum quidem potest fieri sine iudicio ecclesiæ, quo ad habitationé verò non. Ita tenent omnes doct. Limitat tñ syluest. verbo, diuor. 8. ꝙ illud est verum, qñ adulterium est occultũ, si em̃ sit notũ ꝙ adultera illa cum mœcho plures dies habitauerit, tunc sine licentia

Vir qñ tenet vxorem adulteram dimittere.

tia ecclesiæ potest ab ea separari quo ad habitationem. Patet ex cap. significasti. de diuortijs. vbi est casus expressus. Idẽ tenet Ioan. Andre. in capi. plerunque. de donationibus inter virum & vxo.

QVAERITVR, an ordo impediat matrimoniũ? Resp. ꝙ sic, sed solum de iure positiuo. Vnde etiam dicit San. Thom. ꝙ papa ex rationabili causa põt dispensare. Nec Græci sacerdotes vtẽtes vxoribus, faciunt cõtra ius diuinũ. Dico igitur, ꝙ sacerdos, diaconus, & subdiaconus, non possunt contrahere, quia est prohibitum ab ecclesia. Si autem contrahant, matrimoniũ est ipso facto nullũ. Si verò post matrimonium ratum quispiã ordinetur, non dirimitur matrimoniũ, sed tenetur manere cum vxore: vt patet in extrauagante antiqua Ioan. 22. 291 Ordo impedit matrimonium.

QVAERITVR, an si quis occiderit propriam vxorem vt contrahat cum concubina, matrimonium sit validum? Respõ. ꝙ tale matrimonium est irritum 292 Occidẽs vxorẽ vt cõtrahat cum concubina.

 & nul-

non potest cum ea cõtrahere.

& nullum ex determinatione ecclesię in capit. super hoc. de eo qui duxit in matrimonium quam polluerat per adulterium. Sed si è contrario vxor virum occiderit, vt contrahat cum adultero, matrimonium tenebit: quia in iure de hoc nihil est cautum. Si verò aliquis dederit fidem concubinę, quòd vxore mortua contrahet cum illa, non potest contrahere cum ea. Vide iura in illo titulo. de eo qui duxit, &c. At si quispiam occiderit vxorem deprehensam in adulterio peccat mortaliter secundum San. Tho. quanuis iura hoc non puniant. Si verò talis adultera sit iam à iudice damnata ad mortem, poterit maritus eam occidere sicut lictor: quicquid dicant canonistę. Non potest tamen maritus ad hoc cogi sicut lictor.

Occidẽs vxorem in adulterio deprehensam peccat.

293 QVAERITVR, vtrum votũ impediat matrimonium? Rñd. ꝙ duplex est votum. Quoddam est solenne, alterum verò simplex. Votum solenne impedit

Votum simplex & solenne impe

pedit contrahendum, & dirimit contractum. Votum autem simplex impedit contrahendum, sed non dirimit contractum. Sunt de hoc multa iura expressa in titulo de voto. Et qui post votum simplex castitatis contraxit, peccat quotiescunque exigit debitum: potest tamen reddere non solùm quando vxor petierit, sed etiam quandocunque sibi videbitur honestum accedere ad eam, aut quando senserit quòd ipsa vult, aut quod eget, aut quòd est periculum incontinentiæ: vt dicit S. Thom. in additionibus. quæst. 83. arti. 1. ad quartum.

dit matrimonium sed diuersimodè.

QVAERITVR, an cultus disparitas (hoc est infidelitas) impediat matrimoniũ? Respondeo, quod inter infideles sunt vera matrimonia. Et ita tenent omnes, & est determinatio ecclesiæ in cap. gaudemus. de diuortijs. Secundò dicit. S. Thom. quod inter infideles non est tam perpetuũ, & tam indissolubile matrimonium, sicut inter fideles: quia 294

Fidelis cum infideli contrahere non pōt.

non eſt ſacramentum, ac proinde nec confert gratiã: ſed eſt quidã contractus humanus. Si autẽ contrahat fidelis cum infideli, matrimoniũ nullũ eſt de iure poſitiuo, quia eſt prohibitum ab eccleſia vt patet in concilio Toleta. 4. capit. 62. & in concilio Agathenſi. capit. 67.

297 QVAERITVR, an cognatio carnalis impediat matrimonium? Reſpon. primò, ꝙ iure naturali prohibiti ſunt parentes cõtrahere cũ liberis. Nam omnes homines, etiã gentiles damnãt talia connubia: nec de hoc quiſpiã dubitat. Et ſunt egregiæ rationes aſsignatæ in ſacra ſcriptura. Vide. S. Tho. & etiam cũ alijs deſcendentibus, &c. Item in primo gradu tranſuerſali inter fratres & ſorores, probabile eſt ꝙ eſt contra ius naturale. Prihibiti verò ſunt ab eccleſia quatuor gradus qui irritant matrimonium: vt patet in cap. non debet. de conſanguinitate & affinitate. Fuerunt antiquitus prohibiti ſeptem gradus: vt

Cognatio carnalis in quibus gradibus impediat matrimonium.

vt patet. 35. q. 5. Papa tamen potest dispensare in gradibus qui non sunt prohibiti iure naturali. vt sit pax inter familias, vel ob confœderationẽ regnorum, vel ob aliã rationabilem causam. in. 4. autem gradu causa rationabilis est ꝙ ipsi cõtrahẽtes petant. Dispẽsatio tamẽ in gradibus iure humano prohibitis fieri solita, succesșit causa quæstus: nihilominus tenet. De cõputatione consanguinitatis vide Syluestrum, & alios.

¶Impedit etiam matrimoniũ affinitas, vsque ad quartum gradum: vt patet in cap. non debet. de cõsanguinitate & affinitate. Et nõ solùm affinitas inter consanguineos vxoris, sed etiam inter consanguineos scorti, & concubinæ meæ. Quanuis (vt credo) hęc vltima affinitas cõtrahatur propter ius humanũ, & non ex natura rei vt prima. Est autẽ regula ad cõputandũ affinitatẽ, ꝙ in eodem gradu sum affinis Petro, in quo vxor eius est mihi consanguinea. 266 Affinitas vsque ad quartum gradũ impedit matrimonium.

297 De impedimento publicæ honestatis causato ex sponsalibus de futuro, dico ꝙ est vinculũ inuentum ab ecclesia, quæ decreuit, ꝙ per hoc ꝙ aliquis contraxit spõsalia cũ Maria, non possit contrahere cum consanguinea eius vsq; ad quartũ gradum. Et impedit mr̃imoniũ eodẽ modo ac affinitas: vt patet in capi. ex sponsalibus, de sponsalibus. libr. 6.

Publica honestas ex spõsalibus impedit matrimonium vt affinitas.

298 QVAERITVR, an parentes teneantur alere filios illegitimos? Respõ. ꝙ non est dubitandum quin tan pater quam mater teneantur alere filios qui nondũ attigerunt vsum rationis. Quia omnes gentes putant damnabile relinquere filios in ætate infantili, in qua non possunt sibi victum quærere. Et si exponant eos vt ab alijs alantur, videtur certè quòd peccent mortaliter. Secundò dico ꝙ considerando prædictos filios postq̃ habent vsum rationis, est distinguendũ. Nã quidã filij illegitimi sunt qui vocantur naturales, soluti

Parentes an teneãtur alere filios illegitimos.

ti cum ſoluta, ſuſcepti ex cõcubina. Alij ſunt ex concubitu damnato, vt ſuſcepti ex adultera, vel moniali, qui vocantur ſpurij. Et in iure determinatur, quòd parentes teneantur alere primos filios qui habentur à concubina tanquam ab vxore. Alios vero filios ſpurios non tenentur parentes alere. Et in pœnam illius damnati coitus prætereuntur in teſtamentis, vt homines ab huiuſmodi concubitu peſsimo arceantur.

Sed quid de caſu qui ſæpe eſt in vſu: ego habeo filiam ſpuriam quam non poſſum inſtituere hæredem, quia leges hoc vetant, voco amicum meum, & conſtituo eum hæredẽ tali pacto, ꝙ omnia bona det filiæ meæ: vtrum talis amicus teneatur dare bona illa filiæ? & vtrum filia cum bona conſcienſtia poſsit ea retinere, accipere, & poſsidere, poſtquam lege municipali prædicta bona ſunt vallata? Reſpõ. quòd omne promiſſum eſt de iure naturali adimplendum, & ideò

299 Amicus cui pater reliquit bona ꝓ filio ſpurio, tenetur illa

eì dare& ſpurius licite recipit. talis amicus in foro conſcientiæ tenetur dare ea bona filiæ meæ: ſi rex illa non confiſcauerit: & illa licitè recipiet, & poſsidebit licitè in foro conſcientiæ, non eſt dubium,

300 Cognatio ſpiritualis impedit matrimonium. QVAERITVR, an cognatio ſpiritualis impediat matrimoniũ? Cognatio iſta ſpũalis diffinitur à S. Th. & alijs, ꝙ ſit propinquitas quædam orta ex hoc ꝙ aliquis confert ſacramẽtum, vel tenet aliquem ad ſuſcipiendum ſacramentum baptiſmi ſcilicet, vel confirmationis. Triplex eſt igitur cognatio ſpiritualis. Quædam quæ vocatur paternitas, quæ eſt inter regenerantẽ & regeneratum: & capio regenerationem, vt ſe extendat ad confirmationem, nã in propoſito idem eſt iudiciũ de confirmãte & de baptizante; & talis non poteſt contrahere cum baptizato, vel cõfirmato, & cũ vxore eius iam ab eo cognita, & cũ filijs eorum. Secunda vocatur compaternitas, quæ eſt inter patrẽ ſpiritualẽ, & patrem natu-

naturalem, & matrem naturalem. Vide capit. primum de cognatione legali. libro. 3. vbi omnia iſta ponuntur.

Cognatio legalis cõtrahitur per hoc quòd quis adoptat ſibi filium. Et ſunt duæ ſpecies huius cognationis, ſcilicet paternitas, & fraternitas. Paternitas contrahitur inter adoptantem & filium adoptiuum, qui quidem non poſſunt contrahere. Fraternitas verò contrahitur inter filios naturales adoptantis, & inter adoptiuum. Et etiam impedit matrimonium ſi filius adoptiuus tranſit in poteſtatem adoptantis; ſed ſi non tranſit (quod fit quando adoptans moritur, vel quando adoptatus emancipatur ab adoptante) tunc poteſt contrahere cum filiabus adoptantis: vt patet in ca. ſi quæ de cognatione legali. 301

Cognatio legalis impedit matrimoniū.

QVAERITVR, an omnes illi & ſoli conſanguinitatis & affinitatis gradus qui Leuitic. 18. exprimuntur poſſint impedire matrimonium contra- 302

hendũ, & dirimere cõtractum. Respondetur negatiuè ꝙ nec omnes illi, nec illi soli: & ita firma fide tenendum est: nam in concil. Triden. sesio. 24. cano. 3. hoc diffinitur his verbis. Si quis dixerit eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus qui in Leuitico exprimũtur, posse impedire matrimoniũ cõtrahendum & dirimere contractum, Anathema sit.

303 QVAERITVR, an in ecclesia catholica sit authoritas & potestas ad condendũ de nouo aliqua legitima impedimenta quæ impediant matrimonium contrahendum & dirimant cõtractum. Similiterque habeat potestatem deponendi & annullandi ea impedimenta, quæ olim legitimè impediebant matrimonium contrahendum & dirimebant contractum. Respondetur affirmatiuè, & ita firma fide tenendum est, sic enim diffinitur in illo. 3. Canone. his verbis. Si quis dixerit non posse ecclesiam in nonnullis illorum Leuitici impedi-

pedimentis dispensare aut cōstituere vt plures impediant & dirimant Anathema sit. Itē ꝓbatur, ꝙ ecclesia catholica prædictā habeat potestatem. Nam olim cōsanguinitas impediebat & dirimebat matrimoniū vsque ad septimū gradum postmodū autē fuit ordinatum & stabilitum vt non impediat nisi vsq; ad quartū gradum, vt habes de cōsanguinitate & affinite cap. quare. Itē olim vsq; ad cōcilium Triden. affinitas ex fornicatione contracta. impediebat & dirimebat matrimoniū vsq; ad quartum gradū. At verò nunc post conciliū prædictū, non impedit nec dirimit nisi vsq; ad secundum gradū, vt habes sessione ꝓpius allegata. c.4. ¶Itē cognatio spūalis quę nascitur ex administratiōe sacramenti baptismatis & sacramenti cōfirmationis olim per tres gradus matrimonium impediebat: At iam post prçallegatum concilium, duntaxat in duobus gradibus matrimonium impedit & dirimit, vt habes in lo-

eo nunc præallegato. capitul. 2.

Item publicæ honestatis iustitia quæ ex sponsalibus de futuro oriebatur impediebat & dirimebat matrimonium, etiam si essent inualida sponsalia, dum tamen inualidatio illa nõ proueniret ex defectu consensus contrahentium. At verò post Triden. conci. c. 3. loco citato nihil impediunt, si sint inualida. Vndecunque inualidatio fuerit orta.

Item publicæ hone statis iustitia, quæ olim per plures gradus impediebat & dirimebat matrimoniũ, iam nunc vt patet in cap. illo. 3. proximè allegato, non excedit primum gradum. ¶Item clandestinus matrimonij contractus temporibus anteactis non dirimebat matrimonium sic contractum, nunc iam dirimit ipsum, vt sancitum est in eodẽ concilio & sesion. de reformatione matrimonij. cap. 1. Habet ergo ecclesia potestatẽ & autoritatem ad condendum de nouo legitima impedimenta quæ & impe-

diant

diant & dirimant matrimonium, & vt quæ olim illud legitimè impediebant & dirimebant, iam neutrum faciant.

QVAERITVR, an ſint aliquæ cauſæ propter quas matrimonium inter fideles ſemel validũ & firmũ diſſolui quo ad vinculum poſsit. Reſpondetur ꝙ ſi de matrimonio rato & conſummato ſit ſermo, ſub Deo & Chriſto Ieſu domino noſtro (ſola morte alterius cõiugum excepta) nulla eſt cauſa, nullaque poteſtas qua poſsit matrimonium quo ad vinculum diſſolui. Hęc ſententia eſt communis, & vnanimi omnium ſanctorũ doctorũ aſſertione probata, quę liquidò conſtat ex illo Mathę. 19. Quos Deus cõiũxit homo non ſeparet. eſſetq; hęreticũ oppoſitum aſſerere. Dicimus ſecundò, quòd ſi de matrimonio rato nõ tamen conſummato loquamur, vna eſt cauſa qua quo ad vinculum diſſolui poteſt. Et hęc eſt ſolennis profeſsio religionis. Et ita firma fide tenendum

dum est. Sic enim vsus totius ecclesiæ catholicæ docuit ab antiquo, & in super ita diffinitum est in concil. Trident. sessio. 24. de matrimonio. can. 6. cuius verba sunt. Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, Anathema sit. Est & alia causa, qua dictum matrimonium quo ad vinculum dissolui potest, dispensatio videlicet summi pontificis. Quod quidem non aliter probauit nisi per hoc quod summus Pontifex aliquoties dispensauit, & licentiam facultatemque contulit, vt tales coniuges ad secundas nupptias transirent. Hoc tamen non tantam firmitatem aut probabilitatem habet quin oppositum securiùs & probabiliùs dici posset, vt habes supra. quæstion. 81.

Tertiò dicimus, quòd matrimonij vinculum inter veros coniuges nec dissoluitur nec dissolui potest per adulterium

rium alterius coniugum: vnde tali adulterio interueniente, neuter coniugum poteſt aliud matrimonium contrahere. Et ita firma fide tenendum eſt, ſic enim diffinitur in loco ſtatim allegato. Cano. 7. cuius verba ſunt. Si quis dixerit eccleſiam errare, cùm docet & docuit iuxta euangelicam & apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non poſſe diſſolui & vtrunque, vel etiam innocentem qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, mœcharíq; eum qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimiſſo adultero alij nupſerit, Anathema ſit.

Quartò, dicimus quòd nec per hæreſim nec per moleſtam cohabitationem, nec per affectatam abſentiam à coniuge, poteſt inter veros coniuges vinculum diſſolui matrimonij, & ita firma fide tenendum eſt. Sic enim diffini-

tur

tur vbi ſupra. Cano. 5. cuius verba ſunt. Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à coniuge diſſolui poſſe matrimonij vinculum. Anathema ſit.

305 QVAERITVR, an in eccleſia inter veros coniuges poſsit multis de cauſis diuortium quo ad torum, ſeu quo ad cohabitationem fieri? Reſpondetur affirmatiuè, quòd multas eccleſia catholica habet cauſas, propter quarum quamlibet poteſt ſuprà dictum facere diuortium. Et ita firma fide tenendũ eſt, quoniam ſic diffinitur vbi ſupra cano. 8. vbi ſic habetur. Si quis dixerit eccleſia errare cùm ob multas cauſas ſeparationes inter coniuges, quo ad torum, ſeu quo ad cohabitationem, ad certum incertũ ve tẽpus fieri poſſe decernit, Anathema ſit.

306 QVAERITVR, an ſolennitas nuptiarum certis temporibus fieri prohibita licita ſit, ſintque meritò obſeruandæ benedictiones, aliæque cæremoniæ quibus

quibus ecclesia in solennitate nuptiarum vtitur. Respondetur affirmatiuè, & ita secundum fidem tenendum est, quoniã sic diffinitur in prædicto Concil. & Sessio. Can. 11. cuius verba sunt. Si quis dixerit prohibitionem solennitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrãnicã, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias cæremonias quibus ecclesia in illis vtitur damnauerint, Anathema sit. Sunt autem causæ matrimoniales ad iudices ecclesiasticos deferendæ, ad quos proprie spectant, sic enim diffinitum est in prædicto Concilio & Sessione. Cano. 12. his verbis. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, Anathema sit.

QVAERITVR, an professi solenni voto castitatem, & etiam illi qui in sacris ordinibus sunt constituti, possint matrimonium contrahere, quod 307

Ff firmum

firmum ſit & validum. Reſpondetur negatiuè, neque enim licitè contrahere poſſunt, quòd ſi contrahant, totum eſt irritum & inane: nam ita diffinitur vbi ſupra Cano. 9. his verbis. Siquis dixerit clericos in ſanctis ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere contractumq́ue validum eſſe non obſtante lege eccleſiaſtica vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe quàm damnare matrimonium, poſſeq́ue omnes contrahere matrimonium qui non ſentiunt ſe caſtitatis etiam ſi eam voluerint habere donum, Anathema ſit. Cùm Deus id rectè petentibus non denegет, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.

308 QVAERITVR, an rationabiliter eccleſia prohibuerit ſacerdotibus, ne matrimonium contraherent (nec enim huiuſmodi prohitio eſt de iure diuino vt dicit D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 11. patet

&patet:quia oriētali sacerdoti est licita copula carnalis vxoris, quā habuit prius quā ordinaretur). Et videtur ꝙ nō, quia orientales sacerdotes, vt diximus, sunt vxorati. Item, quia multa scandala per abrogationem huius legis vitarentur quæ passim contingunt, ergo melius esset ꝙ quilibet sacerdos suo arbitrio relinqueretur, vt ille qui vellet continenter viuere ita viueret, & qui vellet vxorem ducere eam duceret. Præterea legales sacerdotes vxores habebāt. Itē & fortius, q a in primitiua ecclesia nō solū simplices sacerdotes, sed etiam episcopi erāt vxorati, vt patet ex apostolo. 1. Timo. 3. oportet episcopū irreprehensibilè esse, vnius vxoris virū. Quæst. grauissima est: ad quā r̄ndetur magnis ex causis & sctīssimè hanc legē ab ecclesia inductā & hactenus cōseruatā, nec vnquā erit decens vt rescindatur. Primū patet, vbi simul ad hoc vltimum r̄ndeur argumentū. Nam primitiua ecclesiadum ad

huc rudis ex gentibus constituebatur, leuiora dedit præcepta, ne territi fugerent ne laqueũ viderent inijcere, & plus imponere oneris q̃ posset hominum sustinere fragilitas, Ideoq́ue apostoli non præcipiunt cõtinentiæ cœlibatũ, sed virginitatem cõsulunt, ieiunia non improbant. At ex eorũ traditiõe obseruari docet Hierony. tum in epist. ad Marcellã, tum in libr. de celebratione paschæ. In tenella igitur adhuc ecclesia dum ecclesiasticus ordo instituitur ꝓpter conuersorũ paucitatẽ admissum est sacerdotibus vti matrimonio priùs cõtracto. Roborata verò ecclesia, hominibusque ad potiora ꝓuocatis, addictus est ecclesiastico ordini cœlibatus, vt nõ nisi deinceps cœlebs victurus admittatur ad ordines. Hinc Ambr. in epist. ad Ephe. capi. 4. ibi. Et ipse dedit quosdã quidẽ apostolos. sic ait. Postquã omnibus locis ecclesiæ sunt cõstitutæ & officia ordinata aliter composita res est quàm cœperat

Rationē autem huius mutationis aſsi- 309
gnat Hiero. cōtra Iouinia. lib. 1. c. 19. Si
laicus inqt & quicunq; fidelis orare nō
pōt niſi careat officio cōiugali (1. Corī.
7.) ſacerdoti cui ſemp ꝓ populo offerē-
da ſunt ſacrificia, ſemp orādū eſt. Si ſem
per orādum eſt, ſemper carēdum matri
monio. Nam in vetere lege qui ꝓ popu
lo hoſtias offerebāt, nō ſolū in domibus
ſuis nō erant, ſed purificabātur ad tēpus
ab vxoribus ſeparati, vinū & ſicera non
bibebant, quæ ſolēt libidinē ꝓuocare.
Et Ambro. in. 1. ad Timo. epiſt. c. 3. ibi,
diaconi ſint vnius vxoris viri ſic ait. Ve
teribus em̄ idcirco cōceſſum eſt Leui-
tis & ſacerdotibus vxores ad vſū habe-
re, quia multū tempus ocio vacabant à
miniſterio, aut ſacerdotio, multitudo
enim erat ſacerdotum & magna copia
Leuitarum, & vnuſquiſque certo tem-
pore ſeruiebat diuinis cæremonijs ſe-
cundū inſtitutū Dauid. Hic em̄. 24. claſ
ſes conſtituit ſacerdotum. vt vicibus de

ſeruirent. Vnde Abia octauam claſſem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur ſacerdotio. Lucæ. 1. ſicut cõtinetur in Paralipomenon libr. 1. capi. 24. ita vt tempore quo non illos contingebat de ſeruire altari, domorum ſuarum ageret curam. At vbi tempus imminebat miniſterij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem. 7. diaconos eſſe oportet, aliquantos presbyteros, vt bini ſint p̃ eccleſias, & vnus in ciuitate epiſcopus, ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abſtinere debere, quia neceſſe eſt eos quotidie præſto eſſe in eccleſia, nec habere dilationem vt poſt conuentum legitimè purificentur ſicut veteres, &c. Hactenus Ambroſius. De gentilium verò ſacerdotum caſtitate audi Hierony. libr. 2. contra Iouinia. capi. 3. epiſtola. 6. Antequam, inquit religio noſtra fulgeret in mundo, vnicubas ſemper habuiſſe inter matronas decuit, per illas fortu-
nǽ

ne muliebri ſacra fieri ſolitum. Nullũ ſacerdotem bigamum, nullum flaminem bimaritum leges. Hierophantes quoque athenienſium vſque hodie cicutæ ſorbitione caſtrari, & poſtquam in pontificatum fuerint electi, uiros eſſe deſinere.

QVOD verò nunc non expediat 310
vt prædicta eccleſiæ prohibitione ſa-
cerdotes ſint coniugati reſcindatur,
Probatur. Primò, quia matrimonij one
ra multa ſunt, totumque hominem re-
quirunt, & tenetur vxoratus vxoris ſi-
liorumque curã habere. 1. Timot. 5. Si-
quis ſuorum & maximè domeſticorũ
curam non habet fidem negauit, & eſt
infideli deterior, quomõ ergo ſacerdos
miles Chriſti vxoratus & multis filijs
circunſeptus poterit ſemper diuino in-
tendere miniſterio? 2. Timot. 2. Nemo
militans Deo implicat ſe negotijs ſe-
cularibus &c. Præterea ſi hæc reſcin-
deretur lex, maior eſſet ambitio circa

beneficia ecclesiastica nō solū obtinenda sed etiā multiplicanda. Nā plura nō sufficerent multis filijs onerato, cū tanta nunc sit pro filijs illegitimis procurandis ambitio. Præterea tota honestas & habitus clericorū periret, & vacarent vestibus pretiosis vt vxoribus placerent, eorumque castitas nō esset maior. Si enim liceret eis vel vnam habere, cùm ad eam visitandam plures deberét accedere, nequaquam essent vna contenti. Hinc de beato legimus Augusti. fœminarum verò nulla in domo eius mansit, nec etiam germana, nec filiæ fratris quæ Deo pariter seruiebant: dicebat enim, quòd & si de eis non posset oriri suspicio, tamen de alijs quæ ad eas aduentarent, posset oriri. Præterea in eleemosynis elargiendis patres pauperum essent multò contractiores quā nunc sunt.

311 Ad illud de sacerdotibus orientalibus Respōdetur q̄ ex dispēsatione ecclesiæ

Græcis

Græcis ſacerdotibus permiſſum eſt vti matrimonio ante ordines contracto. Schiſmatici enim cũ eſſent, voluit pia mater eccleſia vel ſic in gremium ſuum eos recipere. Cæterùm poſt ordines ſacros receptos matrimonium contrahere nemini permiſſum eſt, vt patet in canonibus apoſtolorum. Cano. 25. Et in Concilio Neocæſarienſi. Cano. 1. & in ca. cum olim. de clericis coniugatis. Ad aliud verò argumentum quòd plura ſcandala ſacerdotum vitarentur. Reſpondetur quòd hæc ſcandala nõ parit cœlibatus, ſed abolitio amoris & timoris Dei, libera concupiſcentia, appetitus effrænis, horror virtutis, & interdum põtificum & aliorum promouentium vitio, hæc accidunt, qui non doctiores, non meliores, ſed nobiliores, ditiores, & argutiores in clerum eligunt, & ſimpliciores quoſque, (probos tamen & innocentes tanquam inidoneos) repellunt, qui affinibus cognatis & amicis (quaſi

terrenæ forent malitiæ) officia largiuntur, non vtilitati consulentes egentis ecclesiæ, sed potentum, aut amicorum parere volentes iussioni. Quodque his deterius est, illis donant clericatus gradum, quorum fuerunt aliquando obsequijs deliniti, magis personæ commodum, quàm accipientis personam attendentes. Quibus dicitur Micheæ. 3. qui ædificatis Sion in sanguinibus & Hierusalem in iniquitate. Igitur quisquis se non continere iudicauerit, se initiare ordinibus non sinat, sed vtatur sibi admisso fornicationis remedio in matrimonio. Si autem sacris se initiari fecerit, factum est ei illicitum, quod prius licuisset. Et si putans se continere posse ordinatus fuerit, & postea carnalis petulantia sic efferbuerit, vt sibi ei impossibile videatur continere, oret Deum, & in eo confidens dicat cum Apostolo, Omnia possum in eo qui

qui me confortat. Audiatq́ue Christum dicentem Lucæ. 11. Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Impossibile autem dicunt, non quia gratia Dei assistente impossibile sit, sed quia negligentia torpentes, non conantur vt sint continentes. Orent ergo huiusmodi, abstineant, ieiunent, corpus inedia subijciant, occasiones libidinem prouocantes fugiant, ad bona opera se conferant, & diuino fulti auxilio poterunt continere, quod sibi priùs impossibile suspicati fuerant. Dicit enim negligens se non posse continere, non quia non potest, sed quia non vult. Nam deliciarum affluētiam epularum & poculorum copiam resecare iste non cupit, mulierculàrum consortia & alia concupiscentiæ incentiua vitare refugit, ocium studio repellere negligit, iuxta Hieronymi consilium ad Rusticum monachum. Ama studia scripturarum, & carnis vitia non amabis.

bis Itaque plerisque sacerdotibus non virtus continendi, sed voluntas deest: vellent nanque plerique hominum esse boni sed non sunt, non quia esse non possunt, sed quia non volunt, vt ait Augustinus libro. 2. de peccatorum meritis. c. 17. Nam contra naturam est corpus voluptatum sine voluptate frui teste Hiero. contra Iouinia. li. 2, c. 37. epistola. 6. Istis quoque dicit Chryso. homilia in Psalmum. 50, Non possum, ais, me cõtinere, hoc pusillanimitatis est & negligentiæ tuæ, qui Dei præcepta contemnere malles, quàm facere.

Laus Deo, pax viuis, requies defunctis.

Finis summæ de septem Ecclesiæ mysterijs & sacramentis, ad laudem Dei omnipotentis.

DE

DE CLAVIBVS.

¶Hæc materia tractatur in.4.dist. 18.& D.Tho.in additionibus ad tertiam partem.q.17.claues enim in ecclesia esse debent.

DIcitur antem Clauis potestas, 312
qua remouetur obstaculum in trandi regnum cœlorum. Impedimentum enim totius humanæ naturæ ex peccato primi hominis consequutum, per passionem Christi amotũ est: & ideò post passionem vidit Ioan. Apoca.4.in cælo ostium apertũ. Sed alicui adhuc quotidie manet clausum propter peccatũ originale quod cõtraxit & ꝓpter actuale quod cõmittit: & ꝓpter hoc egemus sacramẽtis, & clauibus ecclesię, in qbus efficacia passiõis manet.

Quia

Quia ex latere dormientis ĩ cruce, ſacramēta fluxerũt, quibus eccleſia fabricat̃.

313 Hanc antē clauiũ poteſtatē apoſtolis cõtulit Chr̃s, vt expreſsé determinatur in cap. firmiter. de ſumma Trinit. & fid. cath. Quãdo autem fuerit apoſtolis collata? Armachanus abſurdè errans li. 11. de quæſtionibus Armenorũ. c. 14. &. 15. cõtra oĩum doctorum ſnĩam dicit ꝙ Marci. 3. cum dñs duodecim apoſtolos elegit. Sed patet hoc eſſe falſum: quia Matthæi. 16. pro magno vni promiſit Petro dicens, Dabo tibi claues regni cælorum: non ergo antea habebat, aut nihil promiſit. Itē antequàm ipſe eis conſecraſſet, ſacramētumq; conſtituiſſet poteſtatē dediſſet conſecrandi: acſi Cæſar cõſtitueret regē aliquē ſuper regno non cõſtituto. Dico ergo ꝙ in cœna (Matthei. 26) cõtulit totam poteſtatem ordinis: Poteſtatē autē iuriſdictionis in foro interiori, Ioan. 20. Accipite ſpiritũ ſanctum, quorũ rumiſeritis peccata

cata remittūtur eis. Poteſtatem autē iuriſdictionis in foro exteriori, Matthæi 18. Quæcunq; alligaueritis ſuper terrã, &c. Nec inconuenit, quòd Apoſtolis Chriſtus (poteſtatē excellentiæ habēs) apoſtolicam poteſtatem iuriſdictionis conſummatam & perfectam cōtulerit anto ſacerdotium. Vnde & eccleſia nūc temporis iuriſdictionē in foro exteriori dat etiam nō ſacerdotibus, & poteſtatem ordinis dat ijs quibus nondum cōtulit poteſtatem iuriſdictionis.

Et nota, ꝙ illa poteſtas data in foro exteriori. Matth. 18. (Ibi enim fundant ſcholaſtici authoritatē excōmunicandi Et Hierony. ibidem, & Auguſti. libr. 1. cōtra aduerſarium legis & prophetarũ. cap. 17.) Aduertendum inquam, ꝙ hæc poteſtas excommunicandi poteſt dici clauis regni cœlorum, ſi regnum cœlorum capiatur pro eccleſia militante, Auguſti. loco citato, & ſuper Ioan. tracta. 50. & habetur. 24. q. 1. capitu. quod 314

cun

cunque. Si autem regnum cœlorum ca
piatur pro ecclesia triumphante, potest
dici clauis indirectè & secundario. Nã
quatenus excommunicatio excludit à
sacramentis quibus regnũ cœlorũ ape
ritur, potest dici ꝙ claudit regnum cœ
lorũ. Quatenus verò absolutio ab ex-
cõmunicatione, admittit ad sacramen-
ta, ex consequẽti regnũ cœlorũ aperit.

315 SED vtrum omnes apostoli habue
rint claues? Et videtur ꝙ nõ. Quia Mat-
thæ. 26. soli Petro sunt promissæ. Rñd.
cum Caietan. libr. de primatu Roma-
næ ecclesiæ, capit. 5. & 6. quòd sine du-
bio omnes Apostoli à Christo & non à
Petro susceperunt claues. Patet in capi-
tu. firmiter. de summa Trinitate & fide
catholica. Et iam habetur in capi. loqui
tur. 24. quæst. 1. & ex Hiero. lib. 1. con-
tra Iouinianum. Petro autem collatæ
sunt claues, Io. 21. ibi pasce oues meas.
Eadẽ eñ potestas requiritur ad pascen
das oues Chr̃i, & ad aperiendũ vel clau
den

ciendum regnũ cælorũ. Nã qñ Christus viuus erat & præsens, non egebat vicario: consentaneum est ergo vt post resurrectionem eũ instituerit: & non videtur vbinam hoc fecerit nisi Ioann. vlti.

Dico præterea, ꝙ sicut peculiariter claues Petro cõmissæ sunt. Matthæ. 16. sic Ioan. vlti. aliqua peculiaris potestas data est Petro præter cæteros: potestas enim Petri in duobus maximè excessit potestatem aliorum apostolorum. 316
Primum, quia Petri potestas etiam se extendit supra ipsos apostolos. Nam vt arguit Innocent. de maioritate & obedientia. c. 6. qui dixit, Pasce oues meas, non distinguens inter has oues & alias, alienum à suo demonstrat ouili, qui Petrum pastorem non recognosceret. Quo eodem argumento vtitur Bonifacius octauus in extrauaganti, vnam sanctam. Secundo excellebat in hoc, ꝙ potestas Petri erat ordinaria in vniuersum orbem, aliorum verò apostolorum erat

extraordinaria ex priuilegio peculiari. Vnde factum est, vt successores Petri successerint in vniuersa potestate respectu omnium ouium Christi. Successores verò apostolorum non successerunt apostolis in potestate extraordinaria. Imò crediderim omnem potestatē episcoporum (qui sunt apostolorū successores) à Petro & successoribus Romanis pontificibus esse deriuatā: ita ꝗ successor Petri est immediatus vicarius Chrī, & à Chro accepit potestatē: vt diffinit in cōcil. Florē. & in cōci. Cōstātien. sessione. 8. sed successores apostolorum, nec susceperunt potestatem ab ipsis apostolis, nec a Christo immediatè, sed mediatè à Romano pontifice. Et sic intelligo decretū Leonis papæ. 19. dist. c. ita dn̄s. Eodem modo dico, claues Petri in duobus differre à clauibus apostolorū. Primò in vniuersalitate: accepit enim ad aperiendum, non huic aut illi, sed omnibus fidelibus, nullo excepto. Secundò

do, quia ſic eas accepit, vt ab eo accipiant omnes quicũq; claues habuerint. Nam ꝙ apoſtoli non acceperint à Petro fuit ex peculiari priuilegio, quo & Paulus gloriabatur, poteſtatem apoſtolicam non ab hominibus accepi. Et quanuis in capit. firmiter. dicatur Chriſtum contuliſſe clauem apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus: dico ꝙ non eſt eadem ratio de apoſtolis & ſucceſſoribus apoſtolorum. Quia apoſtoli ex priuilegio immediatè à Chriſto acceperunt poteſtatem ligandi atque ſoluendi, etiam in totum orbem, quod malè Turrecremata negat. Sed ſucceſſores apoſtolorum, cùm manifeſtè ordinentur ab hominibus, poteſtatem ordinis non immediatè à Deo accipiunt: poteſtatem autem iuriſdictionis accipiunt à Romano pontifice immediatè. Sed nihilominus Chriſtus confert claues ſucceſſoribus: licèt per medios miniſtros. Quemadmodum idem ipſe eſt

qui tollit peccata mundi: licet per ministros sacramentorum.

317 SED vnde constat claues Petro & cęteris apostolis concessas nunc in ecclesia permanere, cùm non maneat potestas faciendi miracula quę apostolis est collata, nec baptizandi in nomine Iesu Christi, quod apostoli fecerũt? Respondeo, constat potestatem istam viuentibus apostolis ad alios esse deriuatam. Patet hoc Actuum. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi. &c. Et. 1. ad Timotheũ. 4. & ad Titum. 1. Secundò dico, secundùm fidem catholicam tenendum esse, claues apostolis concessas, nunc in ecclesia perseuerare. Patet ex capit. firmiter. Et ex ecclesię consuetudine, quę est columna & firmamentum veritatis. Et matth. vlti. Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Petro enim non sunt datę claues propter ipsum, sed propter ecclesiam. Quare perseuerante eccle-

sia,

ſia, poteſtas data Petro debuit perſeuerare. Et ſic intelligatis decretum Auguſti. 24. quſt. 1. capit. quodcunque. Vnde & patet quare dicantur claues eccleſiæ, quia ſcilicet propter eccleſiam apoſtolis & ſucceſſoribus datæ ſunt. Claues autem eccleſię appellari frequentiſsimum eſt: vt apud Auguſtinum libro primo de doctrina chriſtiana. capit. 18. refertur.

CLAVIS autem eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi, qua eccleſiaſticus iudex dignos recipere, indignos excludere debet à regno: vt dicit Magiſter ſententiarum. 4. d. 18. & Gloſſa ex Hierony. Matth. 16. Et cōprobatur à Ioan. Papa. 22. in extrauagan. quia quorundam. de verborum ſignificatione. Et aduerte regnum cęlorum multipliciter capi. Primò pro ſacra ſcriptura, vt Matth. 21. Auferetur à vobis regnum Dei, &c. Secundò pro eccleſia militante, vt Matth. 13. Simile eſt regnum cę- 318

lorum thesauro abscōdito in agro, &c. Et Matt. 25. Simile est regnū cælorū decem virginibus, &c. Tertiò vt etiā includat duplicē statū, scilicet militantem, & triūphantem: vt Matth. 5. Beati qui persecutionē patiūtur propter iustitiā, &c quia ipsorum est regnum cælorum. & nisi abundauerit iustitia vestra, &c. non intrabitis in regnum cælorum. Aperire autē regnū cælorū cōtingit dupliciter. Vno modo ex autoritate & potestate, vt Papa cū explicat locū scripturæ, diffiniēdo verū sensum. Item cùm sacerdos ex officio baptizat. Secundò modo nō ex autoritate, sed per simplex ministerium, laicus qui baptizat in necessitate, & vir doctus qui aperit locum abditum sacrarum literarum, aut qui docet qua via ad regnum cælorum perueniēdum sit. Dicēdum ergo, clauem esse potestatem aperiendi & claudendi regnum cælorum, si sit plenaria potestas, quomodocunq; accipiatur regnum cælorum.

Et

Et hāc promisit Deus Petro, eaque vtitur pontifex quando diffinit aliquid secundùm fidē tenendum, vel dispensat in voto, vel relaxat iuramentum: id enim est aperire regnum cælorum ex autoritate & potestate. Secundò dico, quòd præcipuus actus clauium est ligare & soluere, & sic per eum diffinitur, sicut diffinitur humanus intellectus per discursum, & potentia visiua per visionē coloris.

SED quæritur, vtrùm sit idem clauis cum charactere? D. Th. 4. d. 18. dicit ꝙ sic. Contrariū dicit Scotus. d. 19. q. 1. & Marsil. 4. qō. 12. articul. 2. Sed distinguendum est de claue ordinis, & de claue iurisdictionis; vtraque enim requiritur ad aperiendum regnum cælorum. Clauis iurisdictionis non est idem cum charactere. Clauis autem ordinis idem est cum charactere sacerdotali. Character enim est potestas sacerdotalis, quæ datur sacerdoti ad consecran- 319

dum. Datur etiam eidem ad abſoluendum à peccatis: ita ꝙ inde habet homo poteſtatem abſoluendi, vnde habet ꝙ ſit ſacerdos. Eſt ergo vna poteſtas quæ ad duos actus ſe extendit, ſcilicet conſecrandi & abſoluendi. Quemadmodum eadem potentia eſt qua ſimplicia intelligimus, & qua diſcurrimus.

320 QVIA verò actus clauium requirit idoneitatem in eo in quem exercetur, quia per clauem recipit iudex eccleſiaſticus dignos, & excludit indignos. ideò indiget iudicio diſcretionis, & ad explendum actum oportet vt habeat iuriſdictionem, Vnde ponitur duplex clauis, ſcientiæ ſcilicet & iuriſdictionis. Et ſcientia quæ eſt habitus non eſt clauis, ſed autoritas ſcientiæ actum exercendi. Communiter etiam doctores ponunt clauem ordinis, & clauem iuriſdictionis. Quæ diſtinctio neceſſaria eſt, ſi poteſtatem excommunicandi & abſoluendi ab excommunicatione, ad claues

dici-

dicimus pertinere cum diuo Auguſtin. 321

Poteſtas clauium ſe extendit ad remiſsionẽ culpę. Nam licèt Deus remittat per ſe culpam, virtute tamen eius ſacerdos agit inſtrumentaliter, vt inſtrumentũ animatũ, nã alias ad remiſsionem culpæ nõ exigeretur votũ recipiẽdi effectũ clauium. Vide Caieta. in opuſcu. 27. quæſtionum. & q. 12. de effectu abſolutionis. Et Adrianum. qõ. 2. de clauibus. Et Thomam Vualdenſem libr. de ſacramentis. à cap. 143. vſque ad. 146. incluſiuè. Extendit etiam ſe poteſtas clauium ad remiſsionem pœnæ æternæ, quod ſit quando remittitur culpa: & etiã temporalis, in eo qui cum contritione accedit. Nam ſicut applicatur nobis in ſacramento meritum paſsionis Chriſti ad remiſsionem culpæ, ita quoque eius ſatisfactio ad remiſsionem pœnæ: remittere enim huiuſmodi pœnam, pertinet ad remiſsionem peccati. Et quanuis. D. Tho. videatur dicere, ꝙ claues re-

mittunt pœnam proportionabiliter ad peccata (vt si peccatum est paruum, parua pœna remittitur, si magnum, multum pœnæ, sed non tota: quia aliàs frustra imponeretur satisfactio). Tu tamen tene, claues tantum pœnę remittere cæteris paribus cùm peccatum est paruũ, quantum si esset magnum. Quia sacramentum ęqualiter se habet, & dispositio est æqualis. Nihilominus habita ratione cõtritionis, confessor debet iniungere satisfactionem. Quia nescit, an tota pœna remissa sit. Et ꝙ pœnitẽtia non sit moderanda secundùm quantitatem peccati, sed secundum cõtritionem pœnitentis. patet ex Innocent. capitul. 8. de pœnitentijs & remisionibus.

322 Potest autem sacerdos ligare ad pœnam. Scotus dist. 18. &. 19. asserit nullũ pœnitentem obligari ad acceptandum pœnitentiam quam iniungit sacerdos. Idem Gabri. dist. 16. q. 2. Quia ad satisfactionem pro pœna duo sunt remedia, alte-

alterum in hac vita, alterum in purgatorio: ergo pœnitens poterit suo cedere fauori. Quia ex misericordia Dei satisfactio præsens acceptatur pro futura pœna. Secundò dicit ꝙ si pœnitens acceptet pœnitentiam iniunctam, tenetur illam implere sub mortali: quod tamen videtur irrationabile. Nam si sacerdos non potest obligare ad mortale, mea acceptatio non inducit peccati mortalis obligationem: non enim volo implere pœnitentiam iniunctam, nisi eo modo quo sacerdos obligare pōt. Propterea Caieta. quęstio. 2. de satisfactione ad. 2. tenet contrarium, ꝙ non tenetur acceptare pœnitentiam, nec acceptatam sub mortali adimplere. D. Tho. hic non dicit, an teneatur, sed ꝙ sacerdos ligat nec dicit an ad mortale vel veniale. Sed dist. 26. in expositione textus dicit. ꝙ est pręceptum de satisfactione. Et ita tenet Syluester verbo, Confessio. 1. §. 26. Et ita tenendum est

quòd

ꝙ est præceptum obligãs ad mortale, si pnĩa iniuncta sit rõnabilis. Probaẽ, quia est sacrilegiũ voluntariè relinquere sacramentũ imperfectũ. Itẽ in foro cõtentioso iudex habet potestatẽ imponẽdi pœnã ꝓ delicto quã reus subire teneẽ, ergo & iudex ecclesiasticus in foro conscientiæ. Itẽ in cap. oĩs vtriusq; sexus. de pœnitẽt. & remiss. iniunctã pœnitentiã ꝓ viribus studeat adimplere. Itẽ suadeẽ ex capi. vlti. de maledicis. Vide de hoc suprà in materia de satisfactione. q. 209.

323 EST autem sacerdoti prudentia necessaria ad pœnitentibus imponẽdum pœnitentiam. Si sciret quantæ pœnæ sit debitor pœnitẽs, cùm sit iudex, tenetur æqualem imponere. Sed in pœnitentiæ iniunctione multa debent pensari: vt habetur in capit. 8. de pœnitenti. Nihilominus arbitriũ sacerdotis nõ debet esse aut seuerum, aut remissum: videntur enim ridiculæ pœnitentiæ huius temporis. Sed in tribus casibus

licet

licet pœnitentiam leuem iniũgere. Primò in articulo mortis, & vbicunq; pœnitens eſt impotẽs ad pœnitentiam graue implendã. Secundò quando indulgentia conceditur pœnitenti ex rationabili cauſa: illa enim habetur loco ſatisfactionis. Secùs quando indulgentia eſt indiſcreta: vt habetur. ca. 16. de pœniten. Tertiò ſi appareat magna contritio, & peccatum non fuit adeò graue. His adderem etiam, cùm pœnitens eſt tam imbecilli animo, vt per grauẽ pœnitentiam ſcandalizetur.

SED an vnus confeſſor poſsit mutare pœnitentiam iniunctam ab alio confeſſore? Reſp. ꝙ ſi pœnitentia fuit irrationabilis, pœnitens non tenetur eam implere, nec habet opus commutatione. Si autem pœnitentia erat rationabilis, ſed fit dura pœnitenti, non poteſt commutari niſi à ſuperiori. Quia par in parem non habet poteſtatẽ. Et ita intelligo decretum Vrbani papę de pœ- 324

niten

nitētia.d.6.c. vlt. placuit vt deīceps nulli ſacerdoti liceat quélibet cōmiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu cui priùs ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius cui pœnitens cōfeſſus eſt. Sed vide de hoc ſupra in materia de ſatisfactione. q. 211.

325 Sacerdotes legales non habebāt claues. Quia illius ſacerdotij poteſtas non extendebat ad cæleſtia, ſed ad cęleſtium figuras. Et in hoc præfertur ſacerdotiū Chr̄i legali ſacerdotio, ꝑ hoc, ꝙ Chr̄us aſsiſtēs pōtifex futurorū bonorum, ad tabernaculum cæleſte introducit. &c. Illi ergo ſacerdotes non habuerunt claues ſed in eis clauiū figura præceſsit. Chr̄s aūt habuit clauem autoritatiuè inquantum Deus, excellētiæ inquantū homo: habuit eīm poteſtatem aperiēdi, & claudendi regnum cælorū. Soli verò ſacerdotes ordinati ab eccleſia, habent claues ordinis, & poteſtatem abſoluendi à peccatis in foro pœnitentię. Hęc con-

clusio

clusio habetur in conci. Florenti. Etiam in materia de ordine latiùs ostendimus contra hæreticos. Clauem autẽ iurisdictionis (quæ non directè se extendit ad ipsum cælum, sed mediante militante ecclesia) non sacerdotes habere possunt. vt Archidia. & electi. Lege quartũ argumẽtum. D. Tho. in additioni. ad tertiã partem. q. 19. art. 3. Vñ nota, ꝙ fœminæ nullã potestatẽ spiritualẽ habent. Vnde de legibus & præceptis earum debet iudicari, id quod de legibus matrisfamiliàs in domestica gubernatione. Nam si materia est grauis & præceptum necessariũ ad conseruationem boni communis, obligabit prę̨ceptum Abbatissę ad peccatum mortale. Sinautem materia non est grauis, quanuis ipsa velit obligare ad mortale lex eius & præceptum non obligat ad mortale. Verum est, ꝙ cùm ex voto obedientiæ monachæ teneantur suę superiori obedire, forsitan cum exigeret obedientiã à subditis,

ditis, etiam in re non admodum graui, si subditæ violant obedientiam, votum suum videntur infringere. Sed hoc mihi certum non est. Illud verò primo loco diffinitum est mihi certissimum. Vnde perperam monachas instituunt, qui absolutè docent præcepta suarum superiorum non obligare eas ad peccatum mortale. Quemadmodum si quis doceret leges principum fœminarum nullas ad mortale obligare. Sed verum est non habere potestatem obligandi in ordine ad finem supernaturalem; hoc enim pertinet ad vsum clauium.

326 Mali sacerdotes vsum habent clauiũ, iniquitas enim ministri non tollit liberalitatem domini, sed sacerdos est solùm minister, ergo non potest sua malitia donum à Deo transmissum per eũ nobis auferre. Præterea, nullus potest scire de alio, an sit in statu salutis: si ergo nullus posset vti clauibus in absoluendo nisi existens in gratia, nullus se sciret absolutum,

tũ, quòd est inconueniens. Hæresis fuit Vuicleph. condẽnata in concil. Constãt. session. 8. &. 15. ꝙ mali sacerdotes priuantur iurisdictione, quæ etiam manifesto ecclesię vsu cõdemnãtur. Sed contra videtur id quod habetur. 24. q. 1. ca. audiuimus. &. 1. q. 1. ca. etiam corde. sed loquitur de diuino ab ecclesia, vt patet legenti. Est etiã argumentum. c. remissionem. 1. q. 1. & de consecra. d. 4. capi. quo modo ex August. sed loquitur de sanctis, vel bonis catholicis, vel de publicis peccatoribus qui non tolerantur.

Schismatici, hęretici, excommunicati, de gradati, vsum clauium non habent: quia priuantur subditis, in quos potestatem quam habent exerceant. Sicut nec possent consecrare non habentes panem, nec baptizare si non habeant aquam. Illi ergo qui priuati sunt, non possunt vsum clauium habere. Sed nota ꝙ in concil. Constan. statutum est, nõ teneri fideles vitare excommunicatos, nisi 327

ſint nominatim excõmunicati, vel manifeſti percuſſores clericorum. Vnde fit vt non omnes excommunicati & ſuſpenſi priuati ſint iuriſdictione, illi videlicet qui tolerantur, & quos euitare non debent. Tempore autem D. Tho. nondum id fuerat conſtitutum. Peccant tamen illi adminiſtrãtes ſacramenta: quia concilium dicit hanc relaxationem in nullo excommunicatis debere ſuffragari. Hoc tamen intellige cum grano ſalis, peccat enim ſi eſt in mora petendæ abſolutionis. Item quando licitè poteſt ſe excuſare ab adminiſtratione ſacramentorũ. At quando tenetur adminiſtrare ſacramenta petenti, non peccat adminiſtrando: aliàs eſſet perplexus.

328 SED nunquid in mortis articulo huiuſmodi poterunt abſoluere? D. Thom. hîc in additionibus. q. 19. artic. 6. nullum caſum excipit. Sed ſuprà. qõ. 8. generaliter dixit in articulo mortis quemlibet ſacerdotem abſoluere poſſe. Sed. 3. p. q.

82.artic.7.ad.2.dicit ꝙ ſolus baptiſmus permittitur eſſe ratus hæreticis & ſchiſmaticis in artic.neceſsitatis. In nullo autem caſu poſſunt cõſecrare, vel aliud ſacramentum conferre. Et idem hac. qõ. ar.5.3. Et eſt communis opinio: Sed Palude.d.25.q.1.circa finem tenet ꝙ in articulo mortis licitum eſt ab hæretico recipere pœnitentiã: quia eſt ſacramentum neceſsitatis ſicut baptiſmus. Idem Syluester verbo, Cõfeſſor. 1. parrapho vltimo. Et Maio.d.17. Et gloſſ. de ſponſal.c.12. Et re vera, de excommunicatis catholicis non dubito, quin in arti.mortis poſsint ſacramentum pœnitẽtiæ miniſtrare. Non enim video cauſam quare fideles in arti.mortis præſente ſacerdote catholico priuentur ſacramento neceſſario ex iure diuino. Nec eſſet minùs intolerabile prohibere abſolutionẽ in articul.mortis, quàm reſeruare caſus: præſertim cùm cõmuniter homines habeat attritione. Item licet recipe

re baptiſmũ, ergo abſolutionem: quia vtrunque eſt in diuino præcepto, & ſacramentum neceſsitatis. Item cap. quod non eſt. de regulis iuris. dicitur, quòd neceſsitas non habet legem. Et idem mihi probabile eſt de hæretico, à quo periculum non timetur, & qui non errat in articulo ſacramenti pœnitentiæ, præſertim ſi de iure diuino quilibet ſacerdos habeat autoritatem in articu. mort. Non valet, quod afferri ſolet in contrarium de Hermegil. ex. 24. qõ. 1. cap. vlti. tum quia ibi loquitur de communione quæ non eſt ſacramentum neceſsitatis, tum quia id fecit ne faueret Arriano epiſcopo: quem pater ob id deſtinarat.

329 Sacerdos autem non poteſt vti claue in quemlibet, ſed in eos tm̃ qui ei in ſortem venerint, niſi in neceſsitatis articulo, vbi nemini ſacramenta ſunt denegãda. Hanc opinionẽ D. Tho. probabiliorẽ facit Martinus. 5. qui in conci-

lio

lio Constantiens. circa finem inter reliquas interrogationes ponit hanc, vtrùm credat autoritatem iurisdictionis papæ & episcopi esse maiorem in soluendo, ligandoque, autoritate simplicis sacerdotis, etiam habentis curam animarum. Proprius verò sacerdos in aliquibus casibus non debet absoluere sibi subditum, sed remittere ad superiorem. Primus, quando est solennis pœnitentia imponenda, quia eius proprius minister est episcopus. Sed iam hæc pœnitentia recessit ab vsu. Secundus de excommunicatis, quando inferior sacerdos non potest absoluere. Tertius, quando inuenit irregularitatem contractam, pro cuius dispensatione debet ad superiorem remittere. Quartus de incendiarijs. Quintus quando est consuetudo in aliquo episcopatu quod enormia crimina ad terrorem seruantur episcopo. Et nota solutionem ad primum in additio. quæst.

20.ar.3.in qua dicit, quod sacerdos non debet audire confessionem mulieris cum qua peccauerit, sed debet ad alium mittere, nec illa debet ei confiteri, sed petere licentiam ad alium eundi: vel ad superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum: tum quia est minor verecundia: si tamen absolueret, absoluta esset. Et quod Augusti. dicit Nullus officio sacerdotis vti debet nisi immunis ab illis sit quæ in alij iudicat. Dicit D. Tho. intelligendum secundùm congruitatem, & non secundùm necessitatem sacramenti. Et hæc de clauibus dicta sufficiant.

Sequitur vltimus de excommunicatione tractatus.

De

De excommunicatione tractatur in.4.distinct.18.& à.S. Thom. ibi. & in additionibus.quæst.21. Nos breuiter absoluemus hũc tractatum quatuor punctis.

¶Primò dicemus quid sit excommunicatio,& quæ causæ illius.

¶Secundo de casibus in quibus potest homo peccare,ex hoc solùm quod excommunicatus.

¶Tertiò de eo qui potest excommunicare.

¶Quartò & vltimò dicemus de excõmunicatione minori, quid sit,quæ causæ eius, & quis possit ab ea absoluere.

QVO ad primum, excommunicatio eſt ſeparatio à communione eccleſiæ quo ad fructum & ſuffragia generalia: & eſt diffinitio excommunicationis maioris. Pro cuius intelligentia eſt notandum, q excõmunicatio non eſt peccatum, nam quodlibet peccatum (etiam veniale) eſt maius malũ quam excommunicatio, ſed eſt pœna: pœna autẽ eſt priuatio alicuius boni, & ſic excommunicatio eſt priuatio cõicationis eccleſiæ, quę quidem eſt quoddã bonum. Secundò nota, q inter Chriſtianos ſunt quatuor gradus cõicationis. Primus eſt communicatio humana quę etiam inuenitur inter fideles, ſicut comedere ſimul, colloqui, tractare: & hęc communio non eſt propriè fidelium, ſed conuenit eis quatenus ciues, & politici ſunt. Secundus eſt cõmunicatio quę conſiſtit in hoc q eſt ſimul conuenire in eccleſia ad orandum, ad recipiendum ſacramenta, ad electionem

canonicam actiuam & paſsiuam, & ad audiendū diuina officia. Tertius eſt communicatio bonorum & ſuffragiorū quę ex intentione eccleſię applicantur, ſeu offeruntur, pro omnibus Chriſtianis. Quartus eſt communicare, ſeu habere partem in bonis & meritis aliorum fidelium, quę titulo charitatis applicantur omnibus exiſtentibus in gratia: ſecundùm illud Pſalm. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. His ſuppoſitis ſit prima propoſitio. Excommunicatio non priuat quarta communicatione. Probatur, quia illa communicatio fundatur in charitate, charitatem autem non expellit niſi peccatum: ſed excōmunicatio non eſt peccatum, vt diximus: ergo. Secunda propoſitio. Excommunicatio priuat hominem reliquis tribus communicationibus. Vnde ſolet ab alijs diffiniri (& bene) excommunicatio eſt priuatio à quacunque licita communica-

tione fideliũ. Consule Caietan. quodlibet. 2. q. 12. Et nota antiquam consuetudinem ecclesiæ in excõmunicatione, ꝙ gradatim fideles communicatione priuabantur. Et fortè tot erant genera excõmunicationum, quot genera communionum. Vnde Syluest. tria genera ponit verbo, excommunicatio. 1. §. 1. Aliquando enim priuabantur sola communione eucharistiæ, quæ antonomaticè communio dicitur. vt trad. Dionys. de ecclesia. hierar. capit. 3. & ostendit Vualden. libr. de sacramentis. ca. 95. Et de hac intelligo decretũ Ioannis papæ. 3. q. 4. c. Engeltrudam. Aliquando priuabantur Christi fideles ecclesiastico cõuentu ad officia diuina audienda, vel ab oratione cõmuni: quę omnes poterant appellari minores excommunicationes, & eas videre licet. 5. quęst. 2. capi. pręsenti. Et. 11. q. 3. cap. ad mensam. Et in concilio Niceno. cap. 11. &. 12. Et Chrysost. homil. 17. in Matthæum circa finem.

Ali-

Aliquando fideles priuabantur omni cōmunione, quasi præcisi ab ecclesiastico corpore: & hanc veteres appellabant anathema, qua voce Iudæi extremam detestationem significare solebāt, teste Hierony. super. 1. cap. epistolæ ad Galatas. Nos hac tēpestate duas tantū excommunicationes nouimus, minorē, qua quis priuatur communione passiua sacramētorum omniū: maiorē, qua etiā priuatur alijs fideliū communicationibus, vt habes de clerico excom municato cap. vlti.

QVAERITVR, vbi habetur in sacra scriptura, ꝙ ecclesia possit hac pœna puniri? Respon. ꝙ excōmunicatio fundatur in autoritate Pauli. 1. Corinthio. 5. Iam iudicaui vt præsens tradere huiusmodi hominem satanæ in interitū carnis. Et re vera intelligitur, quòd tulit in eum sentētiam excommunicationis. vt Sanct. Tho. exponit. Item fundatur in autoritate. 1. Ioann. 331

5. Est

5. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Qui quidem locus licèt multipliciter intelligatur, videtur ꝙ sensus legitimus & literalis sit ille de quo dicitur. Si ecclesiam non audierit, sit tibi vt ethnicus & publicanus. Itẽ ad Titum. 3. Hæreticum hominẽ post primã & secundam monitionẽ deuita. Quem locum adducit sanctus Thom. ad hoc propositum. 2. dist. 43. & quæstionibus de malo. q. 3. art. 15. 3. & ita videtur exponere, & fortè illa est expositio literalis, & Matthæi. 18. Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã ethnicus & publicanus.

332 QVAERITVR, quomodo intelligatur ꝙ excommunicatio priuat à receptione sacramentorũ? an sit sensus ꝙ faciat eam illicitam, ita videlicet ꝙ non potest excommunicatus sacramentum suscipere sine hoc quòd peccet: tamen si de facto suscipiat, verum suscipiat sacramentũ. Vel an sit sensus

ꝙ non

ꝙ non poteſt ſine peccato ſuſcipere, nec ſi de facto ſuſcipiat, tenet ſacramentum: ita ꝙ vltra hoc quòd peccat, ſacramentum eſt nullum? Hæc quæſtio eſt vna de vtilioribus & difficilioribus totius huius materiæ. Et tota difficultas eſt de ſacramento pœnitentiæ, vtrum ſit nullum per hoc quòd ſumitur ab excommunicato. Pro cuius intelligentia eſt in primis notandum, quòd excommunicatio non habet ex iure diuino priuare à receptione ſacramentorum, nec à participatione ſacrificiorum eccleſiæ. Nam de iure diuino nullus eſt excommunicatus: licet veniat excommunicādus ab eccleſia, ſecundùm eius placitum & limitationem. Secundò nota, ꝙ in poteſtate eccleſiæ eſt, facere quòd ſacramentum pœnitentiæ & ſacramentum matrimonij ſit nullum, vbi ſuſciperetur ab excommunicato, etiam inuincibiliter ignorante ſe eſſe excommunicatum. Quod tamen non

poſſet

possset ecclesia facere de alijs sacramentis imprimentibus charactèrem : quia habet determinatam materiam de iure diuino, quæ non potest subtrahi, nec mutari. Hoc supposito dico, q̧ de hac re sunt diuersæ sententiæ: licèt omnes conueniant in hoc, quòd si excommunicatus sciens vel vincibiliter ignorãs se esse excommunicatum, suscipiat aliquod sacramentum, peccat mortaliter & est sacrilegus. Si verò accedat bona fide cum ignorantia inuincibili iuris vel facti, excusatur à mortali, & de hoc nõ est dubium. Sed loquendo de annullatione, quidam dicũt q̧ si excommunicatus etiam inuincibiliter ignorãs se esse excommunicatum, accedat ad sacramentum pœnitentiæ, & absoluatur, nullum omnino sacramentum suscipit: Probant, quia excommunicatio tollit iurisdictionem, ita q̧ excommunicatus nullus est subditus: sed nullus sacerdos potest absoluere non subdi-

subditū, ergo. Patet consequentia, quia licèt ignorantia excuset à peccato, tamen non potest facere, ꝙ sit validum id quod esset irritum si fieret cū scientia opposita. Et hinc est, quòd vsus ecclesiæ habet, ꝙ ante absolutionem à peccatis præmittatur absolutio ab excommunicatione, ne annulletur sacramentum. Secunda, alij dicunt ꝙ si excōmunicatus accedat ad sacramentum pœnitentiæ cum ignorantia inuincibili quæ excuset illum à sacrilegio, verum suscipit sacramentum, nec tenetur amplius confiteri de illis peccatis, sed quęrere absolutionem ab excommunicatione, & interim non miscere se diuinis. Hęc sententia est Caieta. in summa. verbo, Impedimenta absolutionis. Et Palud. 4. d. 18. quęsti. 4. Adria. quęstio. 2. de confessione. circa finem. Probat, quia licèt absolutio sacramentalis sit iure prohibita excommunicato, nullo tamen iure est irrita, si de facto suscipiatur, nec

vsus

vſus eccleſiæ habet contrarium, & qui hoc cogitant decipiuntur, ergo. Item alia ſacramenta non annullantur per hoc ꝙ ſuſcipiantur ab excommunicato, ergo nec hoc: nam detis vnde habeatis contrarium. Item quia aliàs iniuſta eſſet ſententia eccleſiæ, ſi vellet ignorantiam inuincibilem condemnare. Si quis autem excommunicatus per ignorantiam vincibilem, accedat ad ſacramentum pœnitentiæ, dummodò confiteatur fictionem, verè ſuſcipit ſacramentum, & recedente fictione conſequitur effectum. Hanc ſolus Caietan. tenet expreſsè. Et probatur, quia pœnæ non ſunt ampliandæ, ſed potiùs reſtringendæ, vt patet de regu. iuris. in. 6. regul. 15. &. 49. Item eodem iure excluditur excommunicatus à participatione ſacramenti matrimonij, & ſacramenti abſolutionis: ſed eccleſia prohibens excommunicato matrimonium, non irritat illud, ſed ſi fiat

tenet,

tenet, vt patet extra de eo qui duxit eam quam polluit per adulterium. capit. 6. & de matrimonijs contractis contra interdictum ecclesię. capitul. 2. vnde ergo discrimen in verbis eisdem generalibus? Si autem quis celebrauit pro excommunicato, & applicuerit ei sacrificium, siue inuincibiliter, siue vincibiliter ignoret excommunicationem, applicatio facta tenet. Prohibentur enim christiani communicare, non tamen inualidatur excommunicatio.

QVAERITVR, vtrum anulletur sacramentum per hoc ꝙ cõfertur ab excommunicato? Respondetur & sit prima propositio. Si sacerdos excommunicatus quacunque excommunicatione, etiam propter notoriam clerici percussionem, tenet conferre quodcunque sacramentum, excepto sacramento pœnitentię, verum sacramentum confert, quanuis peccet. Nec de hoc est dubiũ, siue faciat scienter, siue ignoranter, & 333

tam vbi toleratur quàm vbi non toleratur. Secunda, Loquendo de ſacramento pœnitentiæ, ſi ſacerdos ſit excommunicatus non nominatim, aut propter notoriam clerici percuſsionem, & tentet abſoluere, verum ſacramentum confert. Ita determinatur in extrauaganti concilij Conſtanti. ante quod nullus excõicatus poterat conferre ſacramentũ pœnitentiæ. Et hæc ſecunda propoſitio intelligenda eſt vt prima, videlicet tam vbi talis ſacerdos toleratur ab eccleſia quã vbi non toleratur, & tã vbi crimẽ propter quod eſt excõicatus eſt ſecretũ, quã vbi eſt publicum. Tertia, ſi ſacerdos ſit excommunicatus nominatim, aut propter notoriam clerici percuſsionem, & cum hoc toleratur ab eccleſia, verum ſacramentum pœnitentiæ confert, ſi de facto conferat illud. Patet, quia licèt in iure nihil ſit de hoc cautum, tamen non eſt credendum, ꝙ eccleſia toleraret eum in publica ad-

mi-

ministratione sacramentorum, & cùm hoc vellet ꝙ facta per ipsum essent irrita: profectò esset intolerabilis error. Quarta, si sacerdos sit excõicatus nominatim, aut propter notoriam clerici percussionem, & cùm non toleretur ab ecclesia, si tentet absoluere, nullum omnino confert sacramentum. Patet, quia ista seruatur ante concilium Constan. & ibi relinquitur ita seruandum perpetuis temporibus quo ad istà duo genera excõicatorũ, ergo. Itẽ, quia talis nullam omnino habet iurisdictionem, ergo.

QVAERITVR, de causa excõicationis an sit peccatum mortale? Quæstio hæc põt dupliciter intelligi. Primò de iure. i. vtrum non debeat ecclesia excõicare, nisi propter mortale. Secundò de facto, an si excommunicet propter veniale, vel aliud factũ quod non sit peccatum, excommunicatio teneat. In primo sensu communis opinio est, ꝙ nullus potest iure excommunicari, nisi 334

propter mortale. Patet ex verbis domini Matthæi. 18. vbi tradita fuit potestas excommunicandi, si peccauerit in te frater tuus, &c. Clarum est quod de venialibus non requiritur illa diligentia: Item ex concilio Meldensi. 11. quæst. 3. cap. nemo. Et hoc tenendum est pro certo licèt aliquando viderim oppositum defendi. Secundò dico, quòd licèt excommunicatio posit iure fieri pro quolibet mortali, quia finis ipsius est salus Christiani, vt patet. 1. Corinthi. 5. quã tollit quodlibet mortale, tñ non debet ferri nisi pro grauissimis criminibus, de quibus aliter non speratur sanitas. Patet, quia est vltima medicina ecclesiastica & nocet plusquam si gladijs feriretur vt ait Augustin. Itẽ, quia excõmunicatio non debet ferri quousque peccator non audiat ecclesiam. Item, quia Paulus non meminit excommunicationis, nisi propter incestum, cũ tamen essent plura alia crimina. Vnde

de patet, ꝙ pro temporali damno non poteſt ferri excommunicatio, niſi ſit nimis graue. Et quidem iudices peſsi mè faciunt, & grauiter peccant concedendo excommunicationes pro rebus leuibus, por las vuas, mançanas, &c. Et eſt vna de peſsimis conſuetudinibus quorundam miniſtrorum eccleſiaſtica poteſtate abutentium, quæ omnia iam corrupta ſunt. Et anathematis nomen, quo audito maiores noſtri tremebant, irriſioni noſtris temporibus expoſitum eſt. Et ego credo, quòd iſtæ excommunicationes non obligant, niſi præſumatur eſſe mortale id pro quo feruntur: non enim dubito.

SED vtrum ſtatim, ꝙ homo peccat 335
mortaliter, poſsit excõmunicari? Reſp. ꝙ non, quouſque ſit contumax & rebellis eccleſiæ. Patet Matthæ. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, adhibe tecum, dic eccleſiæ (& vltimò venit excommunicatio) ſit tibi quaſi

ethnicus. Idem constat ex paulo, Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuita. Vnde de iure nullus potest excommunicari, nisi præcedat trina admonitio: vt patet in capit. sacrosancta. de senten. excommunica. Trina tamẽ admonitio non est de essentia excõicationis: vt bene notat Palude.d. 18. in. 4. & Durand, ibidem,& Glossa in capit. prædicto. & in ca. statuimus. Nec hoc est cõtra euangelium, nam in euangelio ostenditur ordo iuris, non tamen dicitur, quòd ille est necessarius. Verum est quòd non expedit aliter fieri quàm in euangelio expressum est. Nihilominùs siquis semel admonitus excommunicaretur pro mortali, excommunicatio esset valida. Nõ dubito tamen quin admonitio sit de essentia excommunicationis: ita ꝙ si quis excõmunicaretur antequam esset admonitus, excõmunicatio non teneret. Contra hoc potest fieri vnum argumen

mentũ, quia incurrentes excõmunicationes latas in iure, non admonentur priùs, vt patet de incendiarijs, de percussoribus clericorum. &c. qui quidé ipso facto incurrunt in sententiã, ergo. Resp. & tales iam sunt admoniti ab ecclesia, & à lege Christi prohibente talia crimina, & ista est sufficiens admonitio.

QVAERITVR, vtrũ excommunicatio iniusta sit valida, vel vtrùm habeat aliquem effectũ? Nota ꝙ excõmunicatio, sicut & quælibet alia sententia, dupliciter potest esse iniusta. Primò, quia ipso iure est nulla: vt si aliquis excommunicet non subditũ, talis continet intolerabilem errorem, & nullũ effectũ habet, tam in foro exteriori, quàm in interiori. Ita dicitur extra, de sententia excommunic. capit. per tuas. &. c. statuimus. in. 6. eod. titul. Secundò dicitur excommunicatio iniusta ex parte iudicis, quia videlicet malè iudicauit, quacunque ex causa id fiat, siue ex odio, si- 336

ue ex defectu probationis, siue ex ignorantia: talis tamen non est ipso iure irrita. Et de hac est nostra disputatio modò, vtrùm liget? Est quæstio nimis grauis, & de qua sunt diuersæ sententiæ. Caieta. 2.2.q.70.arti.4.ad. 2. tenet expressè, q talis sententia omnino est nulla, ita, q nullum prorsus habet effectum apud Deũ, nec apud homines. Probat, quia excommunicatio non potest ferri nisi pro mortali, sed iste vt supponimus non peccauit mortaliter, ergo. Item quia sententia iniusta non est sententia, nam secundum S. Tho. 2.2. q.70. arti.4. iudicium iniustum non est iudicium, ergo. Adrian. quodlibeto. 6. tenet eandem sententiam. Oppositũ tenẽt Ricard. d. 18.q. 5.arti. 3. Alexand. 4.p.q.82. mẽbro vlti. Syluest. verb. excommunicatio. 2, parrapho, 2, &. 3, Pal. 18. q. 1. artic. 3. & Durand. 18.q.4. Gratia. 11. q.1. capit. qui iustus. & videtur esse sententia S. Tho. q. 21. additio. ar.4. omnes isti dicunt.

cunt: quod excommunicatio iniusta ex parte causæ non sit iure irrita, est valida. Horum sententia videtur fundari in capitul. per tuas. de sententia excõmunica. parrapho. verum inanis vbi dicitur, quod iniustè excommunicatus debet recurrere ad superiorem, & petere absolutionẽ ab excommunicatione iniusta, ne ecclesiæ sentẽtiam cõtemnere videatur, & ex hoc ampliùs ligetur. Re vera videtur mihi, quòd omnes isti auctores loquantur breuiùs quàm oporteat, ideò dicam vobis quod sentio. Et sit prima propositio. Iniuste excõmunicatus non priuatur suffragijs ecclesiæ communibus. Hanc tenent omnes doctores etiam illi qui asserunt sententiam iniustam ligare. Signanter Ricardus, articul. 7. q. 2. & Palude. q. 1. artic. 1. & Alexand. vbi supra. membro. 1. solus Durand. eã negat, sed rationes Caietani, & Adrian. sufficienter eam probant: ecclesia enim non approbat iniquam voluntatem & sen-

tentiam iudicis quantum ad hoc, cùm ſit damnum innocentis, ſine aliqua vtilitate publica. Secunda propoſitio, Talis ſententia quæ non eſt ipſo iure irrita, quantum ad hoc valida eſt, quòd ſic excõmunicatus nõ ſolũ propter ſcãdalum, ſed abſolutè tenetur vitare omnem cõmunionem & vitari. Has duas propoſitiones tenet beatus Gregor. homil. 26. tractans illud Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, & patet hæc. 2. ex multis iuris capitibus, & ex Vrbano papa. 11. quæſti. 3. capi. quibuſnam. Quia ſi ſemel daretur facultas cuilibet diſcernendi an cauſa ſit iuſta, vel non, eſſet magna confuſio & ſchiſma: ideò eccleſia iuſtiſsimè præcipit, vt talis remedia quærat iuris, & interim ſententiam timeat, & ei pareat. Tertia propoſitio, Si talis participaret in diuinis, vel alij eidem cómunicarent publicè, eaſdem pœnas incurreret coram eccleſia, ac ſi ſententia iuſta eſſet. Si enim non eſt delata appel-

latio ad ſuperiorem, & conuincor de communicatione cõtra præceptum eccleſiæ: iudex profectò iuſtè me condemnabit, tanquam irregularem. Hæc Innocentius extra de ſentẽtia excõmunica capit. 40. & Greg. in homilia citata. Quarta propoſitio, licet ex vi præcepti eccleſiaſtici (etiam in ſecreto) ille teneatur euitare & euitari (quia præceptum eccleſiæ æqualiter obligat excõmunicatum in publico, & in ſecreto) ex epicheia tamen, ſiue ex licentia præſumpta aut ratihabitione poteſt communicare ſine ſcandalo. Quia in alijs præceptis ſane interpretamur intentionẽ eccleſiæ, cũ nõ eſt veriſimile ipſam velle obligare. Hic autem nullo pacto eſt veriſimile eccleſiam ad abſtinendum obligare voluiſſe. Nec enim vult alicui innocenti inferre damnum, niſi propter bonum publicum. Priuare autem in publico, neceſſarium eſt ad publicam vtilitatem: in ſecreto autem pri-

uare, non est necessarium. Hanc puto esse mentem & Caieta. & S. Thomæ.

337 QVAERITVR, vtru excommunicatio ignorata liget? Ad hoc sit prima propositio, Si ignorantia inuincibilis sit facti & iuris, id est si sit talis quæ excuset à tota culpa mortali, excusat etiam à canone, non incurritur excommunicatio. In hoc omnes conueniunt, nec potest negari. Quia excommunicatio non potest ferri nisi pro mortali: sed iste non peccauit mortaliter vt supponimus, ergo. Patet hæc de constitutio. c. 2. rē quæ culpa caret in damnum vocari nō conuenit. Secūda, si quis peccet mortaliter, & excommunicatio non si formaliter lata pro illo facto, non incurrit sententiam Canonis. i. si aliquis sciat se peccare mortaliter, & ignoret inuincibiliter id pro quo lata est excommunicatio, non est excommunicatus. V.g. occido Petrum & scio me peccare illu occidendo, ignoro tamē inuincibiliter

liter illum esse clericũ, non incurro excõmunicationẽ. Patet, quia excommunicatio non est lata contra percussorem hominis sed clerici, vt expresse habetur ca. si verò. extra de sententia excõmunicationis. Tertia, si factum pro quo lata est excommunicatio, sit aliàs licitum, vel non condemnatum iure diuino ignorantia canonis excusat à pœna. V. g. si papa nec sub pœna excommunicationis præciperet ne quis vestiretur serico, & ego ignorarẽ canonem istũ, non incurrerẽ excommunicationẽ, quia non pecco mortaliter cùm ignorarem inuincibiliter. Probatur ex capi. proposuisti. 82. d. Quarta, in omnibus statutis satis ab ordinarijs citra papam, ignorantia iuris si sit inuincibilis, excusat à sententia canonis, etiam si faciam mortale pro quo est formaliter lata excommunicatio, V. g. episcopus fert sententiam excommunicationis in concubinarios, ego ignoro illam, non

incurro eã:estò sim concubinarius. Et hoc generaliter est verum in omnibus quoruncunque prælatorum inferiorum papa. Et etiam in religionibus patet, quia ita habetur extra de sententia excommunicationis libr. 6. capi. vt animarũ periculis. vbi hoc ipsum expressè continetur. Et in his quatuor propositionibus omnes conueniunt doctores nemine discrepante. Sed tota difficultas est de sententijs iuris latis à Papa, quibus est annexa excommunicatio. V. g. lata est in iure excommunicatio contra incendiarios, est dubiũ, an cadens in factum & ignorans inuincibiliter ius, incurrat excommunicationem? De hoc sunt diuersæ sentẽtiæ inter docto. Adria. q. 3. de clauibus. Scotus dist. 16. q. 98. Maio. d. 28. q. 2. & Glo. in ca. à nobis. de sententia excommunicatiõis. & in capit, vt animarum. Ioan. Andre. ibi. Barto. in. l. cunctos populos. de summa. Trini. Omnes isti tenẽt partem affirma

firmatiuam, videlicet ꝙ ignorantia iuris non excusat à pœna, seu excommunicatione. Probant ex prædicto capi. vt animarum. in quo papa in fauorem animarum instituit, ꝙ non incurrat excommunicationem qui sciens factũ ignorat ius, sed præcipit id obseruari in statutis ordinariorum inferiorum: nullam prorsus faciẽs mentionem de statutis papæ, ergo cũ solùm exceperit summus pontifex ordinariorum sententias, fit vt sententia iuris communis in sua vi perseueret. Item quia ignorantia iuris cui est annexa irregularitas, non excuset à tali pœna, vt habetur in capit. cum illorum. de sententia excommunicationis, ergo nec ignorantia iuris cui est annexa excommunicatio excusabit ab ea. Hęc est horum sententia, & quidẽ videtur ꝙ sit tutior, pręsertim quia fauet vsus ecclesię quæ communiter irretitos his laqueis remittit ad superiores per confessores, estò pœnitentes laborent inuin

cibili

ciuili ignorantia. Oppositã sententiam tenet Syluest. verbo, excommunicatio. 2. §. 3. & excommunicatio vltimo. §. 3. & verbo, Ignorantia. 1. parrapho. 8. & summa Angelic. Et videtur esse Caietan. & Anto. Qui omnes tenent, quòd ignorantia inuincibilis iuris excuset ab excommunicatione. Probatur, excommunicatio non potest ferri nisi pro cõtumacia, vt patet ex euange. sed qui ignorat inuincibiliter non est contumax, ergo. Item si aliquis sciat substantiam mali actus, & ignoret inuincibiliter aliquá circunstantiam eius, non imputatur ei ad malitiam talis circunstantia, ergo. Ad argumenta vtriusque opinionis potest faciliter responderi. Et quanuis sapientissimus magister Victoria in neutram partem apertè declinet, tamen primam sententiam reputat tutiorem. Et ideò tenendum est, q̄ si fiat id pro quo lata est formaliter excommunicatio, incurritur, estò inuincibiliter ignoret ius.

Nec valet ſolutio Syluestri, quia etiam pontifex eſt ordinarius, & ꝙ eius ſententiæ etiam excipiuntur in illo capit. vt animarum periculis, quia eſt cõtra communem vſum loquendi. Nam in titul. de officio iudicis ordinarij, iuriſperiti communiter diſtinguunt ordinarium à ſummo pontifice.

QVAERITVR, an incurrat ſententiã excõicationis qui facit aut omittit aliquid inuincibiliter credens ſe incurrere excõicationem propter illud? V.g. furatus ſum decem aureos in eccleſia, & credo inuincibiliter ꝙ ob illud crimen ſit poſita excõmunicatio, cũ tñ non ſit: eſt dubium, an incurrã? Et videtur ꝙ ſic, quia qui facit actum aliàs bonum, ſi cogitat eſſe malum, peccat propter illam cõſciẽtiam, ergo. Reſp. ꝙ in tali caſu pecco mortaliter, & incurro tantam culpam & pœnam, quantam incurriſſem, ſi de facto fuiſſet impoſita excõmunicatio pro illo opere, ſicut ego cogito: quia con- 338

ſcientia eſt quæ damnat, vel abſoluit. Secũdò dico, ꝙ talis quandiu habet illã cõſcientiam debet ſe in omnibus habere, acſi verè eſſet excõmunicatus, nam alias peccabit propter cõſcientiã quam habet. Tertiò dico, ꝙ talis de facto nullam excommunicationẽ incurrit. Probatur, quia ipſe non potuit ſupra ſe ferre talem ſententiã, nec alius tulit, ergo. Item, quia ſi ille cogitaſſet eodẽ modo, ꝙ propter illud opus incurrebat mortem temporalem, non incurriſſet illam propter ſolã ſuã imaginationem, ergo. Ad argumentũ in contrariũ dico, ꝙ non eſt idẽ iudiciũ de culpa & de pœna, nã culpa pendet ex vniuſcuiuſq; volũtate, pœna autem nõ niſi à iure, vel à iudice.

339 Iam verò de ſecundo principaliter quæritur, vtrũ liceat communicare cum excommunicato? Hic ſunt breuiter tria definienda. Primũ, in quibus ſit licitũ communicare cum excommunicato, & in quibus nõ. Secũdũ, an incurrat

aliquam cẽsuram qui participat cum ex communicato in prohibitis. Tertium, an ſit ſemper mortale peccatum partici pare cum excõmunicatis in prohibitis: Quo ad primum, ſit prima propoſitio. Poſt conci. Conſtant. duo genera excõi catorũ tenemur vitare. ſ. excommunica tos nominatim, & excõicatos propter notoriã clerici percuſsionem: cũ his in quã eſt prohibitum participare, in his quæ in hoc carmine continentur, Os, orare, vale, communio, menſa negatur. Hoc tamen intelligendũ eſt, quando ta-les excommunicati non tolerãtur in mi niſterio eccleſiæ. Nam ſi tolerantur per communẽ errorem, iam diximus ſuprà ꝙ ſacramenta ab eis collata ſunt vali-da, ac proinde non tenemur vitare eos, etiam in iſtis. Hoc patet ex iure, & ex prædicto conci. Secunda, Cũ omnibus excommunicatis quocunq; modo ſint excommunicati, eſt licitum participare in his quæ hoc carmine continentur,

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse. Vide in sũma Caiet. declaratione horũ verborũ. Tertia, excõicato non nominatim, nec propter notoriam clerici percussionẽ, nullus tenetur vitare post concilium Constan. etiam in contẽtis in primo versu. Vnde possumus cũ eis colloqui, diuina officia audire, inducere eos ad administrandũ sacramenta si eis ex officio vel ex cõmissione hoc incumbat: quia sic ordinauit concilium in fauorem animarum. Hæc est aliquorum non omnium. Nam Syluest. Caie. & Adri. tenent oppositum quo ad participationem sacramẽtorũ tam actiuam quàm passiuã: aiunt enim eos peccare in tali administratione sacramentorum, ac proinde non licere fidelibus eos inducere ad eam. Forsitan cõcilium non ordinauit, nisi ꝙ facta per tales essent valida: quia hoc maximè expediebat animabus. Quo ad secundũ de quantitate pœnæ, sit prima propositio. Qui-

participat in prohibitis cum excommunicatis, de quibus loquitur prima propositio, incurrit sententiam excommunicationis maioris in duobus casibus. Primò, quando participat in crimine pro quo fuit lata excommunicatio. Secundò, quãdo excommunicatio fertur sub hac forma, excõicamus Petrum & omnes participantes, & cum illo communicantes. Extra hos duos casus solũ incurritur excõicatio minor: & de hoc non est dubitandum. Secunda propositio. Participare cum excõmunicatis de quibus in prima propositiõe, est peccatum mortale, solũ in tribus casibus: scilicet si participet in diuinis, vel in crimine, vel in contemptu ecclesiæ seu clauium. In omnibus alijs solùm erit veniale participare cum eis. Hæc omnia habentur ex determinatione concilij Constantien. vt Adria. Antonin. Caieta. Sylue. & vsus ecclesiæ testatur. Hoc dico, quia illa determinatio non extat

apud nos, nec in prędicto conci. ex defectu impressorum. Sed multi testantur se vidisse illam. Et papa Eugen. in quibusdam ordinationibus reuocauit omnia facta in concil. Basiliensi, vbi fuit ordinatum, ꝙ omnes excommunicati vitarentur, quod erat contra determinationem Concilij Constant. Nota hîc quòd quilibet fidelis tenetur iure diuino vitare excommunicatum (quocunque modo sit excommunicatus) in duobus casibus, præter eos quos recensuimus. Primus, quando eius conuersatio est mihi nociua, qua moueat nocendo in fide: vel circa bonos mores. Secundus, quando ex mea conuersatione ipse surnit fauorem, para autorizar su doctrina falsa, o error, propter quod est excommunicatus. Extra hos duos casus non est de iure diuino vitare excommunicatum, sed solùm de iure positiuo.

340 QVAERITVR, vtrũ excommunicatum ab episcopo Salmantino, vel Bur-

Burgensi, &c. teneantur vitare qui sunt de alio episcopatu, supposito q̄ sciant illum esse excommunicatum? Videtur q̄ non, quia supra Burgenses nullā potestatem habet episcopus Salmātinus, quomodo ergo poterit illos obligare ad non participandum cum suo excommunicato? Scotus. 4. distinct. 19. quæst. 5. respōdet (& bene) q̄ omnes qui sunt in ecclesia Dei tenētur vitare eum in quocunque loco existat excommunicatus. Sed tamen non bene respondet ad argumentum in contrarium, nam dicit quod episcopus non habet de iure diuino potestatem excommunicandi, nam sic non posset obligare non subiectos ad non participādum cum suo excommunicato: sed habet talem potestatem ex cōcessione papæ, à qua habet, quòd posit priuari omnibus suffragijs & communicationibus licitis. Sed dico. quòd episcopus de iure diuino habet potestatē excommunicandi subdi-

tos ex officio, & ordinaria & propria potestate. Et quicquid potest Papa in toto orbe, potest etiam episcopus in suo episcopatu, stando duntaxat in iure positiuo: paucis exceptis, vt creare episcopum. Vnde ad argumentum, quomodo potest episcopus obligare non sibi subditos: dico ꝙ potest ex eo, ꝙ est de iure diuino, ꝙ excommunicatus in vno loco vitetur in omnibus alijs: vt patet ex serie euangelica, Si ecclesiam non audierit, sit tibi quasi ethnicus & publicanus. Omnibus christianis dicitur illud, non solùm dicitur illis qui vnius sunt episcopatus, sed omnibus. Secundò dico cum Maio. 4. distinct. 18. quæsti. 4. ꝙ illa obligatio non prouenit ex senten. episcopi, sed ex dispositione iuris humani, quod quidem pręcipit, quòd excommunicatus in vno episcopatu vitetur in alijs omnibus, vt habetur in Concilio Niceno ca. 5. & in Concilio Sardicen. capit. 16. &. 17. & in concilio Citro

cheno.

cheno.ca.2.&.3. Hæc autem habentur 11.q.3.in multis.capit.ſi quis presbyter. & cap.quiſquis.&c.

QVAERITVR, an obligatio ad non participandũ cũ excõicatis, ſit tanta, ꝙ obliget ad ſui obſeruantiam, etiam cum periculo mortis? V. g. Tyrannus vel alius excommunicatus minatur mihi mortem niſi communicem cum illo, vel dicam ei miſſam, an tenear mori potiuſquam id facere? Eſt quæſtio grauis, & diſputatur in prima ſecundæ.q.96.arti.4. Sunt opiniones, quidam dicũt ꝙ lex humana ex natura ſua & de per ſe non poteſt obligare ad ſui obſeruãtiam: cum periculo mortis, & ſi aliquando obligat, eſt de peraccidens, quia ſcilicet adiungitur bono cõmuni, vel fidei, vel religionis. Probant quia debet eſſe iuſta, vt ſi Papa obligaret me ad nunquàm comedendum carnes feria ſexta, certè eſſet lex impia, ergo. Caie. prima ſecundæ loco citato, tenet oppoſitum. Dicit 341

enim ꝙ papa & Rex poſſunt condere legem quæ ex ſua natura & de perſe obligat ad ſui obſeruantiam cũ periculo mortis. Dicit ſecundò ꝙ ſi aliqua lex non obligat iſto modo, eſt ſolùm ex benignitate legiſlatoris, qui noluit obligare cum tali periculo, non autem ex vi legis. In ſumma autem ſua dicit multa reſpondens ad quæſtionem. Primo ait, quòd in humanis non eſt mortale communicare cum excommunicatis in prohibitis, & quòd ab excommunicatione propter talem me tum excuſatur. Secundò dicit, ꝙ in diuinis etiam ſecluſo contemptu eccleſiæ, nullo modo licet cõmunicare cum excommunicatis, etiã ob vitãdam mortem. Quia talis participatio eſt mortalis, quæ nullo metu excuſatur: vt dicitur in capi. ſacramẽtis. extrà de ſententia excommunicatio. Certe iſta ſententia eſt nimis grauis & odioſa. Vnde dico, ꝙ metus mortis excuſat à mortali &

& ab excommunicatione, propter participationem in diuinis cum excõmunicatis incurrendam, secluso contemptu ecclesiæ. Probo quia non est verisimile, quòd ecclesia intendit obligare ad obseruãtiam suarũ legum cum detrimento salutis propriæ. Cùm ergo excommunicatio sit pœna ecclesiastica, & de iure positiuo nõ est dicendũ & obligat cum periculo mortis. Et sic ad. c. sacramentis dico, q illa decretalis est intelligenda: quando in contemptũ ecclesię minatur mors. Vel qñ committitur peccatũ mortale interueniente morte. Vel qñ participat in crimine criminoso cum excõmunicato, vt ait S. Thom. quodlibeto 12. art. 9. & Syluester verbo, metus, parrapho. 7. & Durand. distin. 18. quęsti. 5.

QVAERITVR, vtrũ ipsemet excõmunicatus teneatur vitare fideles? & loquor de omnibus excommunicatis quocunque modo. Respondeo, & sit prima propositio. Excommunicatus, cu' 340

ius

ius excōmunicatio eſt occulta, non tenetur ratione excōmunicationis abſtinere in publico conſortium aliorum, & communionē, etiam in diuinis, ſed poteſt & debet ſe in omnibus ita habere, acſi nō eſſet excommunicatus. Hæc eſt cōcluſio Syluestri verbo excōmunicatio. 3. §. 5. Probatur, nullus tenetur ſe infamare, imò omnes tenentur iure diuino & naturali ad tuendā famā maximè propriā (curam habe de bono nomine) ergo. Item quia quilibet tenetur nō ſcandalizare alios: ſed ſi excommunicatus ſecretè, fugeret aliorum conſortia, ſcandalizarentur illi neſcientes cauſam, ergo non debet fugere. Secunda, publicè excōicatus tenetur vitare alios fideles tam in publico quàm in ſecreto: de hoc non eſt dubiū. De quantitate aūt culpæ publicè excommunicati, ſi publicè communicet cum alijs in diuinis & prohibitis, idem eſt iudicium ac de peccato participantium cum eo

non

non peccat ille magis quã illi, excepto ꝙ fideles post cõcilium Constantiense habent facultatem inducendi excommunicatos non nominatim, nec propter notoriam clerici percussionem, ad aliqua in quibus si se intromitterent ipsi excommunicati, non rogati, grauiter peccarent.

Sed vtrũ vnus excõicatus teneatur vitare aliũ excõicatũ? Videtur ꝙ non, 343
quia olim leprosi qui hos excõicatos figurabant, poterant inuicem colloqui & conuersari, ergo. Itẽ quia excõicati nõ sunt iã de corpore mystico ecclesiæ à quo separat excommunicatio, ergo. Respond. ꝙ sine dubio tenẽdum est ꝙ ita est prohibitum excõicato, participare cũ alijs excommunicatis, sicut cum alis fidelibus, & æquè peccat communicando cũ illis, ac cũ istis. Et omnes excommunicati, sic ad inuicẽ communicantes, incurrũt excõmunicationẽ minorẽ. Patet, quia aliàs excõicati essent

melioris cõditionis vt ſic, quàm non ex cõicari, qui quidẽ priuãtur illa conuerſatione. Item, quia adhuc ſunt membra eccleſiæ per fidem. Secundò dico, ꝙ excommunicati ob hoc ſolùm ꝙ ſunt excommunicati, non ſunt exempti à legibus & præceptis ſuorum prælatorum, & papæ. Quia non ſunt omnino extra eccleſiam, ſicut ethnici, nec ſunt totaliter abſciſsi: & ideò tenentur ſuperioribus parere, & ſecus facientes peccant, & incurrunt alias excommunicationes & pœnas.

344 Dico vltimò, ꝙ titulo excõicationis maioris prohibetur non ſolùm licita conuerſatio cum excommunicato, ſed etiam illicita. Vnde mulier ſubijciens ſe excõicato, grauiùs peccaret quàm ſi peccaret cum non excõmunicato. Itaq; præter malitiam quam habet illud peccatum ex ſuo genere, habet aliquam rationem circunſtantiæ excommunicationis. Hoc patet, quia in prohibitio-

ne

ne cõmunicationis, includitur prohibitio illicitæ communicationis à fortiori: & non dubites de hoc.

Dico denique, non ſacerdos poſſe excõicare, dũmodo iuriſdictionem habeant in foro contentioſo, vt archidiaconi, legati, & electi. Sed eſt graue dubiũ an occultè excõicatus poſsit excõicare: ita ꝙ talis ſententia valeat? Palud. 4. d. 18. q. 2. reſpondet, ꝙ ſic. Probat ex capit. ad probandum. de ſententia & re iudicata. Et ex. l. barbarius. ff. de re iudicata. Et habetur. 3. q. 7. capi. 1. &. 8. q. 4. cap. nonne. Idem tenet Gratianus. 3. p. q. 7. in fine. Contrarium Syluester verbo, excõicatio. 2. parrapho. 1. Nã Alexander. 24. q. 1. c. audiuimus. dicit excõmunicatũ excommunicare non poſſe, nec enim dicere poteſt quenquã iam ꝓſtratus. Idẽ patet in capit. aduerſus. de immunitate eccleſiarum, & ibi Gloſa. Et in cap. exceptionem. de exceptionibus. Ad hoc reſpõdetur, publicè excõi- 345

catum

catum ſuſpēſum eſſe ab officio & benefi cio eccleſiaſtico, de iure communi, eccleſiaſtico tamen, nam à ciuili non eſt ſuſpenſus, ita q̧ ſententiæ non valeant: niſi cum per annū perſeuerat in excōica tione, vt habetur extrà de hæreticis.cap. excōmunicamus.parrapho. credentes. Suſpenſus quoque eſt à beneficio ſuſcipiendo: ita q̧ non poſsit accipere, nec retinere ſi accipit, patet, de clerico excommunicato capitu.poſtulaſtis. A fructibus etiam percipiēdis beneficij quod habuit ante excommunicationem, ipſo iure ſuſpenditur, de appellatio. capit. paſtoralis.parrapho.verum quia. Sed non priuatur beneficijs habitis ante excommunicationem eo ipſo: priuandi tñ ſunt & expoliandi: ſi diu in excommunicatione permaneant: vt patet de ætate & qualitate ca.cùm bonæ memoriæ. Et de hæreticis cap. excōmunicamus. parrapho. credentes. Sunt item ab officio ſuſpenſi. Patet. 24.q.1.cap.audiuimus. Et de ex

cefsibus prælatorũ ca. vlti. Et oẽs iurisperiti atq; theologi ita sentiũt. Occulte aũt excõicatus est suspensus ab officio. Nam publici officij gesta ab excõicato occulto valent, nec sunt irrita quãdiu toleratur ab ecclesia. Et hæc opinio cõis Ricar. 4. distin. 18. art. 7. q. 1. Caietan. in sum. verb. absolutio. Innoc. cap. veritatis. de do. & contum. Pan. ibid. Syluest. verb. Excõicatio, 3. parrapho. 10. 11. & 23. Nam si actus occultè excõicati irritarẽtur, posteà cũ detegeretur excõicatio multi de suo statu dubitarent. Item patet ex concil. Constãt. in. quo ad euitãda scãdala & multa pericula, solùm priuamur à cõicatione excõicatorum qui sunt specialiter noĩati, vel percussores clericorũ: & tñ si essent irrita quæ facerẽt, teneremur abstinere. Item in ca. ex pia. de exceptio. lib. 6. Item sñĩa lata ab excõicato occultè, tenet quantum ad exteriora, & non solùm rõne scandali. 8. quæst. 4. cap. nonne. Credo tñ, ꝙ per talẽ sñĩam non

priuatur excoicatus suffragijs communibus. Quia ex parte ferentis erat nulla: sed valida rõne præcepti ecclesiastici, & propter vtilitatem cõmunem. Cõfirmatur, quia concilium Constant. voluit illã indulgentiam esse non in reuelationem excõicati, sed populi christiani: ergo cũ priuare suffragijs pertineat ad autoritatem ipsius excommunicantis, nõ debet releuari suffragijs inquam, id est bonis interioribus quæ Deus præbet mẽbris suæ ecclesiæ. Nam bene priuat eum orationibus publicis, missa, officio diuino. An autem publicè excommunicatus possit dare facultatem audiendi confessiones? Palud. 4. d. 23. q. 2. tenet ꝙ sic. Ego credo ꝙ non, quia est suspensus. Occultè autem excommunicatus licitè potest alteri commiteer, ipse verò licitè absoluere non potest.

846 Quo ad quartum & vltimum de excõicatiõe minori dicimus primò, quod excõicatio minor est censura ecclesiastica,

ſtica, qua homo excluditur a paſsiua tantùm participatione ſacramentorum: & ex conſequenti à paſsiua electione canonica. Quia ſic diſponit ius, extra de clerico excommunicato. Et hæc excõicatio poſt concil. Conſtant. in duobus tãtũ caſibus incurritur. Primus ſi participatio interuenit cum nominatim excommunicatis publice. Secũdus ſi cũ excommunicatis propter manũ uiolentã in clericum notoriam (extra caſus à iure permiſſos) & peccat mortaliter peccato ſacrilegij excõicatus minore excõmunicatione, ſi ſe ingerit paſsiue participationi cuiuſque ſacramẽti. Quia excluſus ab eccleſia indignus accedit: ſicut excõicatus maiore ingerẽs ſe diuinis. Participãtes aũt cũ excõicato minore nullã ex participatione incurrũt cẽſurã: quia excõicatio minor nõ tranſit in tertiã perſonã.

SED vtrum quilibet ſacerdos poſsit abſoluere ab excommunicatione minori? Reſpondeo, quod non ſecundum 347

Caieta. verb. Absolutio. &. verb. excõicatio minor. circa fin. Et Syluest. verb. absolutio. 1. parrapho. 2. & est cõis opinio. Probat Caieta. quia quæcunque excõicatio est vinculum fori contentiosi, ergo exigitur in absoluẽte potestas iurisdictionis in eodem foro: at simplex sacerdos non est iudex, nec habet nisi potestatem ordinis: ergo. Confirmatur ex cap. nuper. de sentent. excom. Oportet ergo recurrere ad ministrum ecclesiæ habentem aliàs potestatem iurisdictionis: & posset diaconus, imò simplex clericus habens iurisdictionem, absoluere à minore excommunicatione, multò magis quàm à maiore. Quoniam vtriusque absolutio non spectat ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis. Et ista pro materia excommunicationis sufficiant.

LAVS DEO.

Sequitur tabula quæstionum & articulorum in hac summa contentorum.

pti-

Quæstio secunda de Confirmatione.

Quæ-

Quæstio.3. de Euchariſtia.

Qui

Quæstio.4.de pœnitentia.

An

cet

testa-

Quis

Vtrum

Queæstio quinta, de Extrema vnctione.

Quæstio sexta, de ordine.

Quæstio.7.de Matrimonio.

Ante

poſsint

Queſtio octaua de Clauibus

sibi

Quæſtio nona, de Excommunicatione.

Finis Tabulæ.

SALMANTICAE.
Excudebat Dominicus à Portonarijs, Sacræ Cath. Maiest. Typographus.
1571.

Y

–: hic, est, via, virtutis, –:

Victoria


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm